



# Specimen exegetico-theologicum de loco t̄es apokatastasēos pant̄on

<https://hdl.handle.net/1874/312651>

SPECIMEN EXEGETICO-THEOLOGICUM

DE

LOCO τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων.



SPECIMEN EXEGETICO-THEOLOGICUM

DE

LOCO τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEDERL. EQUITIS, ORD. CORON. QUERN. DECURIONIS,  
JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**PAULUS STEEN,**

AMSTELAEDAMENSIS.

A. D. XI MENSIS MARTII, ANNI MDCCCLVI, HORA I.

AMSTELAEDAMI,

APUD TEN BRINK & DE VRIES.

MDCCCLVI.

• ELEMEN EXEGESES-HISTOLOGICIS

10

• PROpositio 1. Quod est hoc quod dicitur deus?

1000

• RIMUS OKMUS ETIACIKI

• TECNOLOGIA DE HOC QUOD Dicitur deus.

• LLAJ KAY HALL

• PROpositio 2. Quod est hoc quod dicitur deus?

1000

• SENATIS ACADMIICIS CONFER

• TECNOLOGIA DE HOC QUOD Dicitur deus.

• DE HOC QUOD Dicitur deus.

1000

• TECNOLOGIA HONORIBILIS AC PRIMARIA

• ACADMIICAE RIMUS OKMUS ETIACIKI

• TECNOLOGIA DE HOC QUOD Dicitur deus.

• TECNOLOGIA DE HOC QUOD Dicitur deus.

• LLAJ KAY HALL

• TECNOLOGIA DE HOC QUOD Dicitur deus.

PARENTIBUS  
OPTIMIS CARISSIMIS  
SACRUM.

## BITTERLY

the first time I had been to the city of Boston, I was struck by the number of people who were evidently poor, and who were dressed in a way that I could hardly have imagined. I had never seen so many men and women in such a state of poverty before. They were all dressed in old, worn-out clothes, and looked very dirty and miserable. I have since learned that this is a common sight in Boston, and that it is due to the fact that there are many poor people in the city who have no money to buy food or clothing. I have also learned that there are many charities in Boston that help these poor people, and that they are doing a good work.

## PRAEFATIO.

---

L. S.

*Studiis incumbens hoc sémper in votis habebam ut grandum doctoralem consequendo vitae Academicae rite finem imponerem. Quum vero instaret tempus, quo animi desiderio satisfacerem, multae sese obtulerunt difficultates, quas prius parvi duxeram. Tres annos quum latum campum Theologiae percurrerim, plurima tantum digito tangere mihi contigit. At majora postulat verus theologus! Haec tamen virium mearum tenuitas non ita animum demisit, ut consilium meum missum facherem. Itaque officium impositum aggressus specimen conscripsi, quod híc benevolo lectori trado. Peracta studia Academica respi- ciente, vos mihi memorandi estis, viri clari BOUMAN et VINKE, quorum scholas tres per annos frequentavi. Semper exemplo vestro viam indicavistis, qua de rebus theologicis modeste et religiose judicium fertur. Qua in via sistentem ecclesiae salutem me esse promoturum vestraque institutione haud sine fructu usum esse credo.*

*Laboris huic opusculo impensi memori, te compellare mihi religio est, vir clar. TER HAAR, Promotor aestimatissime! qui haud diu munere Academicо functus, juvenem te adeuntem comiter exceperisti. Si humanitas tua a proposito me non absterruit omnibus enumerandis difficultatibus, quibus laborat speciminis argumentum, idem vero ne leviter vel inconsiderate opus susciperem, prudenter cavisti. Si scholis tuis interesse mihi non contigit, ex privata collacutione satis efficio, qualis sis studiorum promotor et juventutis Academicae amicus. Incolumem te servet O. M. Deus in ecclesiae salutem et hujus Academiae decus ac ornamentum.*

*Te vero laudanti subit mihi memoria viri clar. ROY-AARDS, cui e mediis studiis erepto quot et quanta debeam me testificari non posse graviter doleo.*

*Inter alios, quos hac in Academia habui praceptores, tu imprimis nominandus es clar. OPZOOMER, cuius laudem non is sum qui praedicem. Tenet vero me grata tuae institutionis recordatio qua prorsus indignum me non fuisse discipulum, probet eventus!*

*Ad vos me converto, qui in Athenaeo Amstelaedamensi muneribus fungimini viri clar. BOOT et VETH. Haud enim diu te, clar. BOSSCHA, audire licuit historiam et litteras Graecas Latinasque docentem. Ne turbetur otium tuum, quod ut parares, suadebat corporis tenuitas. Reliquum tempus, quod mihi Amstelaedami datum erat, tuis scholis interfui, cl. BOOT, qui in modo laudati viri*

*locum successisti. Diu te servet O. M. Deus ut strenue doctrinae tuae copiam in juventutis emolumentum adhibere pergas.*

*Neque te, cl. VETH silentio praetermittere volo, cui, quo amore studiorum orientalium imbutus sum, plane me debere publice profiteor. Tu enim de utilitate studii linguarum orientalium sine dubio mihi persuasisti et accurate fundamenta jecisti, quibus altiorem cognitionem facile superstruerem. Concedat tibi Deus voluntatem viresque ut in alumnis instituendis Athenaei Amstelaedamensis columna evadas!*

*Memorare etiam mihi lubet virum clar. A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN quamvis eheu! defunctum, cuius benevolentia non tantum seminarii alumnis, sed etiam iis, quorum institutio peculiari eius curae non erat mandata, scholas eloquentiae aperuit. Semper me tenebit memoria temporis, quo eius imprimis exemplo commotus artem oratoriam magni facere incepi. Merita ejus nulla delebit dies. Quiescat in pace!*

*Haud invitus occasionem arripi, vos compellandi, parentes dilectissimi, quorum indefessa cura animum puerilem ad boni justique amorem excitare studuit juvenemque ut ad CHRISTI exemplum se conformet, adhortari solet. Quid animo commoto sentiam satis eloqui non valeo. Utinam numquam talibus parentibus indignus reperiatur filius! Quod ne fiat summa virium intentione efficere studebo.*

*Vobis denique valedico, committones amicissimi, quo-*

rum amicitia multos per annos vitae meae suavitatem adauxit. Vestrae imprimis benevolentiae memoria, quos quotidie frequentabam, ne umquam ex animo recedat! Iam adest nobis finis studii Academici et quoquo nos ducturum sit fatum, solus scit Deus. Singulorum vero vitae cursum animo persequi, gratum mihi impono officium. Propitio Deo vivite felices meique haud immemores estote. Valete!

## CONSPECTUS.

	Pag.
INTROITUS . . . . .	1.
BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS . . . . .	4.
JUDAeorum de τῇ ἀποκατάστάσει MESSIANA EXSPEC- TATIO . . . . .	27.
DE LOCIS, ubi η ἀποκατάστασις πάντων DISERTIS VERBIS DOCERI VIDETUR . . . . .	34.
1 Cor. XV: 22—28. Rom. V: 18. Rom. XI: 32. Eph. I: 10. Phil. II: 10, 11. Col. I: 20. 1 Tim. II: 4. IV: 10.	
LOCI, QUI CITANTUR, UNDE EFFICIATUR η ἀποκα- τάστασις πάντων. . . . .	58.
1 Petr. III: 19, 20. IV: 6. 2 Petr. III: 9. Apoc. XX: 14. Matth. V: 26. Matth. XIII: 33. Joh. X: 16. XII: 32.	
LOCI, UNDE POENARUM AETERNITAS PROBARI SOLET. 80. 2 Thess. I: 9. Matth. XII: 31. XIII: 11—16. XVIII: 8, 34. XXII: 13, 14. XXV: 41, 46. Apoc. XIV: 11. Joh. III: 36. Luc. XVI: 19—31. Hebr. VI: 2. 1 Cor. I: 18. 1 Joh. III: 15. Jud. vs. 6, 13. Matth. XXVI: 24. Joh. V: 24.	
EPICRISIS . . . . .	113.

the time of the author's life. The author's name  
is not mentioned in the book itself, but it is  
known from external sources that it was written  
by a man named John. The book consists of  
two parts, a preface and the main text. The  
preface is dated 1750 and discusses the author's  
intention to write a history of the English  
language. The main text is divided into  
chapters and covers various topics such as  
the history of the English language, its  
grammar, and its literature. The book is  
written in a clear and concise style, making it  
easy to understand. It is a valuable historical  
document and provides insight into the development  
of the English language over time.

## INTROITUS.

Inter dogmata, quorum studium recentissimo tempore renovatum est, locum quoque obtinet placitum τῆς ἀποκαταστάσεως, quod a multis viris doctis examini accurato subjectum est. Effecit haec disquisitio, ut alii in aliam sententiam abirent. Fuerunt plurimi, iisque doctissimi, qui in nullo loco N. Foederis hanc doctrinam fundatam esse statuerent, quum alii oppositam profiterentur sententiam. Qua de re nondum compositas esse controversias probat eruditorum virorum etiam nunc dissensus.

Quum adhuc dubius haeretem, quid tractandum susciperem, omni momento haud destitutum hoc argumentum mihi suppeditavit vir clar. VINKE, quod quo magis illud mecum volverem, eo magis mihi arrisit. Cuiusvis

enim interest scire, quid sacra scriptura doceat de sorte nostra post mortem futura. Huius sortis conditionem pendere a nostra vivendi agendique ratione hac in terra nemo in dubium vocet, qui codicis sacri effatis fidem habet. Aperte docuit CHRISTUS unum quemque ei fidem habentem salutis participem fore. Sunt tamen, eheu! quam plurimi quibus nunquam Euangelium annunciatum fuit; sunt etiam inter illas gentes, quae Euangelii luce gaudent, qui rebus terrestribus atque sensuum voluptatibus dediti, nihil curent res divinas: multi qui, omni fere institutione neglecta nullam sibi contraxerint Dei salutisque a CHRISTO oblatae notitiam. Quaenam horum fata erunt post mortem? quaenam ethnicarum gentium, quae ante CHRISTI apparitionem vixerunt? Tales quaestiones uti omni tempore hominum animum commoverunt et meditationem excitarunt. Sic quoque me hisce valde commotum esse candide profiteor. Sunt vero aliae causae eaeque haud minus graves quae me ad disquisitionem excitaverint, quid CHRISTUS ejusque Apostoli talibus quaestionibus, sive explicite sive implicite respondeant. Non solum cuiusvis hominis christiani sed theologi imprimis attentione dignum est placitum τῆς ἀποκαστάσεως. Qui ad huius placiti exponendi rationem attendit facile animadvertet, eos, qui propugnant restitutionem omnium, philosophicis potius quam exegeticis uti argumentis, unde colligi posset sacram scripturam illorum sententiae minus favere. Quorum si audio phi-

losophicam disputationem, plane me convinci dicere non vereor. Quum vero persuasum mihi habeam de nullius dogmatis veritate satis constare, nisi fundatum sit in codice sacro, plane inutile esse mihi non videbatur, accuratam hac de re instituere disquisitionem. Praecedat brevis conspectus historicus huius placiti, unde patebit, quinam a vetustissimus inde temporibus huic sententiae plus minusve faverint, quid de illa senserit ecclesia. Disquisitio ipsa Exegetica erit, atque ita quidem illam instituturi sumus, ut primum illa loca, quae *την ἀποκατάστασιν* docere videntur interpretetur, deinde procedamus ad ea, quae contrariam sentiam continere videntur. Ex his lexis secum invicem collatis, conclusiōnem petere conabimur.

## BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS

DOGMATIS τῆς ἀποκαταστάσεως πάγτων.

---

Antequam ad historiam conscribendam progredior, monendum est, nomine ἀποκαταστάσεως πάντων duo contineri placita. Alterum spectat omnium rerum creatarum, quae (2 Petr. III: 7–13) incendio periturae dicuntur, renovationem; alterum damnatorum conversionem salutemque, quae in fine rerum speranda vel exspectanda sit. Hoc praesertim nos intelligimus, illud, interdum cum nostro conjunctum obiter atterigemus at seorsim tractaturi non sumus.

Fuerunt nonnulli, qui, propugnantes restitutionem omnium, sententiam suam sustentare conarentur afferendis veterum doctorum testimoniis. Quin etiam ALETOPHILUS quidam et PETERSENUS, de quo plura post memorabimus, contenderunt, hanc doctrinam τῆς ἀποκαταστάσεως acceptam fuisse primo aevo ecclesiae christianaee. Citavit vero DIETELMAIR (in o. l.) duos locos, qui a PETER-

SENIO afferuntur, CLEMENTIS ALEXANDRINI, unde sana interpretatio contrariam efficit sententiam. Quanquam igitur hisce viris non assentior ecclesiae veteris auctoritatem testantibus, negari tamen nequit, patres antiquos tam ambiguis verbis nonnunquam usos esse, ut certam inde elicere sententiam sit fere Herculeus labor. Accedit, ut in variis eorum scriptis varia atque sibi obloquentia haud raro legantur, quod inde explicandum esse videtur, quoniam modo ex anthropologia modo ex theologia ratiocinia atque argumenta hausisse videntur. Anthropologia enim et theologia, quamvis a priori utramque inter se pugnare posse negamus, subinde ad opposita dogmata nos ducere videntur. Frustra adhuc quaesivit philosophia unionem vel synthesin, quae utramque rite conjungat. Praeterea est boni interpretis probe tenere unumquemque scriptorem pro vario tempore et pro varia opportunitate varia scribere posse. Haec lex hermeneutica minime negligenda est in patrum ecclesiae scriptis interpretandis. Sic v. c. multum differt utrum AUGUSTINI scripta legas ante lites Pelagianas confecta an ea quae ad PELAGII sententiam refutandam sunt composita. Quae hic monuimus, mox ad ORIGENIS doctrinam bene explicandam commode applicari poterunt.

Ante Origenem varie de conditione piorum post mortem cogitatum est. Arctissimo vinculo salus futura conjugebatur cum virtute hac in terra colenda; at quo constantius quis virtutem secutus esset, eo meliore illum

gavisurum esse conditione credebant. Libertas moralis strenue vindicabatur: libere agere potest homo in se convertendo ad Deum vel ab eo devertendo. Peracto vero huius vitae stadio, conversioni nullus datur locus; quod CLEMENS ROMANUS testatur (ep. II, c. 8) μετὰ γὰρ τὸ ἔξελθεῖν ήμας ἐν τοῦ νόσου οὐκ ἔτι δυνάμεθα ἐκεὶ ἔξομολογῆσασθαι η̄ μετανοεῖν ἔτι. Deus poenas infligit vel salutem praebet unicuique pro meritis; quidquid Supremus ille Judex impertit, aeternum esse debet; sententiam enim mutare nequit. Sic igitur ex eminentia Dei et suspensa hominis libertate poenas damnatorum aeternas fore effecerunt. CYPRIANUS, ut uno altero exempli haec mea dicta confirmem, ad *Demetr.* p. 195 scribit: »cremabit addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax poena, nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatis ad dolorem.” Verba sequentia idem perspicue docent: »quando istinc excessum fuerit, nullus iam poenitentiae locus, nullus satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur aut tenetur, hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei providetur. Sed ab hac aeternarum poenarum consideratione diversa docuit haud multum post ARNOBIUS scribens: *Adv. Gentes IV.* »Jaciuntur enim et ad nihilum redactae interitionis perpetuae frustratione vanescunt.” Qui aliquando desinere animos impiorum statuebat; cuius sententiae πρόδρομον fuisse JUSTINUM

MARTYREM contendunt nonnulli viri docti citantes haec verba: ἔστιν ἀν αὐτὰς καὶ πολλές εσθαι οὐ θεός φέλη.

Hisce praemonitis, inquiramus in originem placiti τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων. Qua ratione, quo tempore et quo auctore natum sit placitum de damnatorum restitu-  
tione haud facile dicitur. Philosophorum gentilium placita aliquid contulisse verisimile est. Putat DIETELMAIR, doc-  
trinam de mundi et creaturarum restituzione primam sup-  
peditasse occasionem de restituzione diabolorum et dam-  
natorum cogitandi vel certe commendandae huic doc-  
trinae haud mediocriter inserviisse. Neque enim, per-  
git, omni veri specie carere potuit haec argumentatio :  
si omnis mundus singulaeque creaturae per peccatum  
corruptae et in deteriorem statum mutatae, integrati  
pristinae tandem restituendae sunt (quod docebant ve-  
teres) quanto magis creaturarum excellentissimae, imo  
preciosissimo Christi sanguine redemptae.” Habet pro-  
fecto haec sententia quo se commendet! Accedere tamen  
potuerunt alia ratiocinia e Dei supremâ ac prorsus absoluta  
potestate Christique redemptione petita. Non poterant  
sibi cogitare hominem vel daemonem vel ipsum diabolum  
(quem Deo subjectum docebant, ne in dualismum inci-  
derent) in aeternum resistentem efficacitati gratiae divi-  
nae; tantam vero vim tribuebant moralem redemtioni  
a Christo allatae ut et diabolus aliquando ejus particeps  
foret. Sed haec conjicimus neque pro certo damus.

Saeculo secundo discipulus aliquis VALENTINI, MAR-

CUS τὴν ἀποκατάστασιν τῶν ὅλων docuisse videtur, quod apparet ex scriptis IRENAEI, qui his verbis MARCI sententiam refert: »tunc omnium rerum restitutionem futuram, cum omnia in unam litteram delabentia unum et eundem enuntiationis sonum ediderint. Cuius quidem enuntiationis imaginem esse Amen illud quod nos una, dicimus, fingebat. Quum ipsa verba sint obscuriora nobis sufficiat, facile colligi posse, quo sensus redeat. Sequenti saeculo ORIGENES huic sententiae favit; de quo quum alii aliter sentiant, paulo uberius agemus. Probare conatur DIETELMAIR, ORIGENEM, qui vulgo patronorum τῆς ἀποκατάστασεως dux atque antesignanus habetur, revera orthodoxe sensisse de poenis infernis. Hanc suam argumentationem fulcire conatur nonnullis locis ex HIERONYMI, RUFINI aliorum scriptis allatis ut indicet opera ORIGENIS tantum passa esse violentiae ut dici vix queat. Confitetur revera RUFINUS se libros περὶ ἀρχῶν ab haereticis depravatos deprehendisse et se ipsum, quae sibi contraria videbantur amputasse, alia substituisse, quod testantur etiam alii. Ex hisce concludit recte DIETELMAIR difficillimum esse certum de ejus sententia ferre judicium. Si vero quid video vir laudatus huic librorum ORIGENIS interpolationi nimium tribuit, quando propterea testimonio veterum de hac doctrina ORIGENIS omnem fere vim abnegandam esse censet dicens eos, qui aut praepostero zelo hostilique odio affecti aut in eius scriptis non versati, aliorumque relationibus praeoccupati fuerint.“

Licet haec vim suam habeant, non tamen nimis sunt urgenda. Quanquam multi a partium studio alieni non erant, in dijudicando ORIGENE, vix tamen hoc crimen haereseos ei objicere potuissent, nisi vulgo innotuisset ORIGENEM revera tales fuisse sententiam. Praeterea tuto statuere licet, illos scriptores qui interpolationem ORIGENIS operum perhibent, magna usos esse prudentia in indagando, quid ORIGENI tribendum esset, quid abnegandum neque falso eum erroris accusasse, cuius non certo sciebant esse reum virum doctissimum. Affert DIETELMAIR locum ex epist. ad amicum ALEXANDRUM qui sic se habet: »quidam eorum qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis et doctrinae nostrae crimen blasphemiae, super qua ipsi viderint, quomodo illud audient neque ebriosi neque maledici regnum Dei possidebunt licet patrem malitiae ac perditionis, eorum, qui de regno Dei ejicientur, id est, diabolum, dicant posse salvari, quod ne aliquis quidem mente captus dicere potest. Sed nihil mihi mirum videtur, si adulteratur doctrina mea." Equidem HIERONYMO facile concedo ORIGENEM hoc loco orthodoxe sensisse, sunt vero etiam alia quae contrarium doceant. Si, quantum fieri potest, eius scripta consulimus hoc saltem appareat, eum libertatem moralem i. e. libertatem peccandi vel ad Deum se convertendi etiam post mortem in altera vita permansuram sibi cogitasse, maximamque vim tribuisse cum redemtioni

CHRISTI tum omnipotentiae Dei. Diabolus non necesse est redeat ad patrem culpe suae conscius sed vi et efficacitate libertatis potest ad Deum se convertere. \*) Haec ORIGENIS sententia patet ex hisce verbis. » Aliqui ex his ordinibus, qui sub principatu diaboli agunt, poterunt aliquando in futuris saeculis ad bonitatem converti, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii, nisi permanens et inveterata malitia velut in naturam quandam ex consuetudine convertatur. — Tam in his quae videntur et temporalibus saeculis, quam in illis, quae non videntur et aeterna sunt, omnes isti pro ordine, pro modo et meritorum dignitatibus dispensantur; ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus et per graviora supplicia ac multis saeculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati et restituti eruditionibus primo angelicis, tum deinde etiam superiorum graduum virtutibus et sic per singula ad superiora proiecti usque ad ea quae sunt invisibilia et aeterna perveniant. Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere, unamquamque rationabilem naturam posse ab uno in alterum ordinem transiuntem per singulos gradus in omnes et ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectum defectumque varios pro motibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur.” Alibi dicit: » Destruetur (novissimus inimicus) non ut non sit, sed

\*) De princ., I. 6, 3.

ut inimicus non sit. Nihil enim omnipotenti impossibile nec insanabile est aliquid factori suo." Quis non videt τὴν ἀποκατάστασιν πάντων posteriore hoc loco, praesertim verbis illis, quae Dei omnipotentiam spectant, doceri, quippe quae innuant liberum arbitriam hominis magis magisque cessurum esse huic potentiae. ORIGENES idealistica philosophandi ratione ductus, τὴν ἀποκατάστασιν πάντων tanquam finem futurum historiae mundi sibi proposuisse videtur. Quo tempore hic triumphus divinae sapientiae adesset, non designavit; quod eorum sententiae favet, qui ORIGENEM τὴν ἀποκατάστασιν πάντων tanquam lege morali postulatam sibi cogitasse negent. Talis necessitas valde repugnaret libertati humanae, quam ita vindicat ORIGENES, ut pios etiam a Deo desciscere posse statueret. Quaerimus igitur, quomodo haec doctrina cohaereat cum τῇ ἀποκατάστασι, respondendum videtur ORIGENEM nimio studio libertatis humanae tuendae ductum sibi non semper constitisse. Quid enim? Eadem redemptio CHRISTI, quae vi sua impiorum arbitrium ad bonum flexit, nonne etiam eos conservandi facultate gaudet? Non video, quo modo BAUMGARTEN-CRUSIUS<sup>\*)</sup> pugnam hīc adesse neget. Qui autem ea communione cum Deo junctus est, ut a vetito constanter abstinere velit, quomodo illum unquam Dei fore inimicum existimemus? Se ne juste longius ORIGENIS sententia nos tencat, concludo, ORIGENEM revera do-

<sup>\*)</sup> *Dogmengesch.* p. 390.

cuisse τὴν ἀποκατάστασιν πάντων, nonnumquam vero practicis studiis ductum illum aeternitatem poenarum proposuisse in vulgaribus loquendi formulis. Quoniam poenis paedagogicum finem tribuebat, sperabat fore ut omnes impii aliquando se converterent ad Patrem coelestem. Qua ratione de hac doctrina judicaverit, indicant sequentia (o. 1. I. 6. 1): "quae quidem a nobis cum magno metu et cautela dicuntur, discutientibus magis quam pro certo et definito statuentibus."

Praeter ORIGENEM pauci adhuc fuisse videntur saeculo tertio satis ignoti huius dogmatis patroni. HERACLEON, ex ORIGENIS scriptis notus, affirmando respondit quaestioni annon lapsi angeli salvari possint. CANDIDUS *Valentinianus* ORIGENIS sententiae subscrispsisse videtur ut magni huius viri sibi acquireret consensum. Neque AMPULLIANUS est praetermittendus, qui quum in ecclesia Bithyniae motus adversus se excitasset ORIGENIS scripta in suas partes advocavit. Etiam schola Antiochena alumnos habuit, qui restitutionem omnium accipiebant. DIODORUS et THEODORUS, de quo posteriore testatur PHOCIUS τὴν ἀματωλῶν ἀποκατάστασιν τερατεῖται, poenas infernas consilio paedagogico infligi dicebant a Deo, cuius misericordia aliquando omnibus impertiret salutem. Plures patronos tamen haec doctrina nacta est in ecclesiis Africanis, unde factum est ut Patres, qui vulgari sententiae erant addicti, magis etiam poenarum aeternitatem urgendam esse existimarent. Mitius hac in re

judicavit AUGUSTINUS quam PELAGIUS, qui minimam legis divinae violationem gravissimo supplicio puniri credebat. Multi tamen loci ex AUGUSTINI operibus citari possunt qui sententiae orthodoxae favent. \*) Quicunque in favorem damnatorum scribebant, *fratres misericordiae* †) ab AUGUSTINO dicti sunt, a PELAGIO *Origenistae*. In diversas partes hi abierunt; alii universalem accipiebant restitutionem tam diaboli et daemonum, quam hominum, alii hanc solis hominibus promitti volebant. HIERONYMUS CHRISTI sectatoribus, licet impie vixerint aut haeresi addicti fuerint, »moderatam et mixtam clementiae sententiam, ethnicis vero aliisque supplicium aeternarum poenarum exspectandam esse putavit. A partibus PELAGII stabant omnes, qui veris christianis aeternam pollicerentur salutem impiis vero aeternam damnationem. Omnia, qui erroris *ἀποκαταστάσεως*; hoc tempore accusantur, nomina referre parum juvat. Sufficiat dixisse doctrinam ORIGENIS praesertim GREGORIO *Nazianzeno* et *Nysseno* placuisse. Posterior hoc crimine absolvitur a DIETELMAIERO, cui prorsus incredibile est »virum sana ratione utentem sibi ipsi contradixisse in uno eodemque libro, quod fecisset GREGORIUS. Multis citatis locis qui et orthodoxam et haereticam contineant sententiam,

\*) v. c. Enchirid. ad LAURENT. 112: »Manebit ergo sine fine mors perpetua damnatorum i. l. abalienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate poenarum, de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur.”

†) Civit. Dei XXI: 17.

concludit auctoritate GERMANI (in PHOTII scriptis obvii) GREGORII libros ita esse violatos ut quid senserit auctor, certo statuere nequeamus. Et hic vero valent quae supra de ORIGENE interpolato disputavimus. Etiam si GREGORII opera plus minusve depravata fuerint, necessarium tamen nobis non videtur ob duplicem quam enunciatam legimus apud GREGORIUM, sententiam alter utram interpolatam habere. Talis enim contradictio non raro invenitur apud patres et antiquos doctores, ut supra de ORIGENE et AUGUSTINO probatum est. Haec difficultas tollitur si animadvertisimus, quae initio huius conspectus animadvertisimus.

Quanquam ecclesia cum Origenianismo placitum τῆς ἀποικιαστάσεως profligasse videbatur, aliores tamen radices egerat haec sententia, cuius posteriora saecula plane obliviscerentur. Multi reperiebantur Origenistae inter monachos Palaestinenses, qui hanc doctrinam amplexi eam posteris mandarunt. \*) Horum nomina plerumque in obscuro latent. Solus THEODORUS MOPSUESTENUS dignus est qui nominetur. Huius erroris accusatus et condemnatus est, quanquam concilium oecumenicum quintum nullam huius haereticae sententiae mentionem facit.

---

\*) Concil. Labbei. t. V, p. 469. Ex epistola Rabbulac beatae memoria ad sanctum CYRILLUM contra impium THEODORUM. «De gehenna hie ratiocinationes eorum non est tutum perlitteras significare. Iste sunt thesauri impietatis eorum, quibus jam dudum latenter fruebantur et volunt, si possibile est usque ad finem obumbrare timentes pias aures populi.»

Pauci, imo fere nulli hanc doctrinam propugnarunt, quanquam haud paucos spem restitutionis in animo fo-  
visse probabile est. Tandem saeculo nono extitit J. SCO-  
TUS ERIGENA, qui redemptionem generalem accipiens *τὴν  
ἀποκατάστασιν* enuntiavit; quod vero cum non impedi-  
verit, aeternitatem poenarum infernarum quominus vin-  
dicaret etiam hanc contradictionem hoc modo solvere  
conatus est. »Aliud est, inquit, omnem malitiam gene-  
raliter in omni humana natura penitus aboleri, aliud  
phantasias eius malitiae dico, in propria conscientia eo-  
rum, quos in hac vita vitiaverat, semper servari, eoque  
modo semper puniri.” Alibi fundamentum suae senten-  
tentia indicat: »Divina quidem bonitas consumet mali-  
tiam, aeterna vita absorbet mortem beatitudo miseriam,  
nisi forte adhuc ambigis dominum JESUM humanae na-  
turae acceptorem et salvatorem non totam ipsam sed  
quantulamcunque partem eius accepisse et salvasse.”  
Ceterum Valdenses (saec. XIII) a REINERIO SACHONO,  
nescio quo jure, huius sententiae accusantur, quum as-  
seclae JOHANNIS DE LUGDUNO et Lollhardi etiam hac  
in re ab ecclesia dissensisse videantur. Idem auctor  
dicit. \*) »Idem (JOHANNES DE LUGDUNO) credit quod  
animae transmutentur de corpore in corpus et quod in  
fine liberabuntur omnes a culpa etiam et a poena.”  
Quoniam Valdenses ab ipsis Inquisitoribus saepe cum  
Albigensibus confundebantur, admodum difficile defi-

\*) *Biblioth. patr. M. t. XXV, p. 271: “contra Valdenses.”*

nitu est, utrum haec opinio revera Valdensibus sit tribuanda, an vero e theosophicis Albigensium placitis fluxerit.

Catholica ecclesia stricte adhaesit antiquo dogmati, uti hoc quanquam exornatum, in pulcherrimo DANTII poemate exponitur.<sup>\*)</sup> Mystici huius temporis acriter querebantur dolores istos aeternos, quos phantasia horribiles depingebat. Inuria ecclesia Graeca ORIGENIS sententiae subscrispsisse dicitur, diserte enim professa est diabolo nullam superesse spem salutis; licet nonnulli ante diem judicii per preces et oblationes poenis istis eripiantur. Protestantes acriter se tuebantur ab Origenianismo, sed hac in re differebant ab opinione ante Reformationem vulgari, quod unicuique, qui non intimo animo fidem habuisset CHRISTO, in aeternum spem recuperandae salutis abnegabant. Anabaptistae e quibus praesertim DENKIUS est memorandus, »qui sentiunt hominibus damnatis ac diabolis finem poenarum futurum esse“ condemnati sunt in Augustana confessione art. 17. Postea e medio Protestantismi orti sunt Sociniani et Remonstrantes, qui finem quidem constituunt poenarum infernalium non vero per ἀποκατάστασιν sed per animorum interitum futurum. Jam chiliasmi error semper secum duxit dogma τῆς ἀποκατάστασεως, ut mox videbimus. In Anglia saeculis XVI et XVII fuerunt nonnulli

\*) Notissima est inscriptio portarum Infernarum:

»Lasciate ogni speranza voi ch'entrate.“

huius dogmatis patroni, ut patet ex articulis in synodo Londinensi aº. 1552 compositis. Longius a proposito aberrarem, si omnes memorare vellem, qui etiam in Germania doctrinam ecclesiasticam oppugnarunt. Transeo ad antea laudatum J. W. PETERSEN. Hic vir pius et doctus multos motus excitavit in ecclesia. E scholis SPENERI egressus male magistri verba interpretatus est. Quum hic spem edidisset meliorum temporum, PETERSEN instare regnum millenarium credidit atque absolutam victoriam regni divini annuntiavit. Anno 1700—1710 sententiam suam de apocatastasi edit, adjutus opera suae uxoris JOHANNAE ELEONORAE. Multi adversarii exorti sunt, et magna est copia libellorum, qui de hac sententia in lucem sunt editi. Per varias scribendi methodos doctrina est promulgata. Imo anno 1728 PETERSEN scripsit *das ewige Evangelium* quod poetica oratione continebat placitum τῆς ἀποκατάστασεως. Mortuo Petersenio 1727 lites nondum compositae erant. Ejus locum occupavit LUDOVICUS GERHARDUS, magister in academia Rostockiensi, qui disciplinae ecclesiasticae subjectus erat ob verba quaedam Origenianismum redolentia. Jam vero sententiam suam exposuit in opere: »Systema ἀποκατάστασεως das ist, ein vollständiger Lehrbegriff des ewigen Evangelii von der Wiederbringung aller Dinge.“ Quod alia multa secuta sunt. Non potuit non haec audacia multas elicere refutationes. Vehementer ab utraque parte disputatum est,

nulla personae ratione habita. Caret haec controversia omni dignitate, qua se justificare possit nobis.

Antequam transeamus ad exponendum quibusnam fatis placitum τῆς ἀποκαταστάσεως usum sit recentiori tempore, paucis causas indicare lubet, unde explicandum est variis historiae periodis hanc opinionem suos habuisse patronos. Apte duo saecula usque ad ORIGENEM completi possimus, quoniam ante illum nihil fere certi de dogmate nostro constitui potest: Universe hoc sibi proprium habent: principium theologicum et christologicum praevaluunt anthropologico, quo factum est, ut interdum hominis libertas moralis locum cedere deberet omnipotentiae Dei. Ubi hoc Dei attributum urgetur, haud mirum est eschatologiam eo tendere, ut, quum Dei voluntas rata fiat, humana libertas in statu post mortem plane tollatur. Hinc factum est, ut alter locus, quo quis pro meritis a Deo vel praemio vel poenis affectus versaretur, ab altero separatus cogitaretur; et ut, omni libertate suspensa, nullus locus convertendi haberetur, quo statum mutare posset. Judicium, quod Deus fert de homine, est irrevocabile in aeternum, perpetuam aut salutem aut miseriam impertiens. Jam vero unusquisque videt, indolem judicii divini esse diversam pro diversa ratione qua Deus cogitatur. Si enim amore ductus fuit Deus in constituendo decreto de hominibus, facile intelligimus eum, omnibus salutem impertire cupientem, non statim post mortem, qui hac

in terra peccato obnoxii fuerint, poenis aeternis esse affecturum. Pariter Deus omnipotens fingi non potest, cuius voluntas ab homine irrita redi possit. Ad oppositam sententiam multos perduxit justitia Dei, quippe quae vel minimam divinae majestatis laesionem aeternis cruciatibus puniri exigat, sicut postea diserte enuntiavit **ANSELMUS**. Variae, quas h̄ic significavimus, de Deo notiones tribus prioribus saeculis post Christum natum obtinuisse videntur, unde varias deductas esse opiniones eschatologicas haud improbabile est. Quum supra satis dixerim de **ORIGENE**, sufficiat h̄ic repetere eum praeципue idealistica philosophandi ratione ductum esse, ad τὴν ἀποκατάστασιν agnoscendam. Constat autem hanc philosophiam ad mitius judicium de malo morali perducere, neque talem ejus naturae adscribere turpitudinem, qualem realismus anthropologicus, quem secuta est imprimis Ecclesia occidentalis. Augustinianismus, qui in parte occidentali viguit, salutem piorum ita descripsit, ut libertas veri nominis cum illa arctissime conungeretur, impios vero sensualibus poenis affici docuit. Haec diversitas indolis, quae intererat inter salutem spiritualem et poenas sensuales, quodammodo sententiae favere videtur, omnem spem salutis non esse excludendam, quia alterum non plane tollit alterum. Ipse **AUGUSTINUS**, ut hoc afferam exemplum, hac in re non semper sibi constitisse, saltem aeternitatem poenarum non valde urgendam esse sensisse videtur.

Quae priora saecula in mente habuerant et subinde enuntiaverant, in ordinem et sistema redegit Scholasticismus medii aevi; qui etiam quod ad eschatologiam attinet, antiquorum opinionibus adhaerebat. Subsequens reformatio, quae dicitur, secum ferebat, ut ad res hanc vitam spectantes potius attenderetur quam ad accuratam inquisitionem in conditionem post mortem futuram. Ut ante factum erat locus proborum separatus cogitabatur ab improborum sede. Exspectandum tamen erat propter Protestantismi indolem, liberi examinis studiosam, ut hic viros doctos ad iteratam inquisitionem in res eschatologicas excitaret. Et sane seriore tempore Sociniani et Arminiani liberaliori sententiae de aeternitate poenarum faverunt, invitis multis, qui hoc placitum acriter tuerentur; cuius rei imprimis philosophia Cartesiana causa habenda est, quae universe magnam vim in dogmatica exercuit praesertim in Neerlandia. Late serpsit Socinianorum opinio, quae poenas infinitas accommodatas non esse ad peccatum, cui natura finita inhaeret, statuens, poenarum aeternitatem rejicerent. Quidam theologi Altdorfenses \*) editis libris, eadem adhibuerunt argumenta, quo factum est, ut multi existerent, in ecclesia Lutherana, qui minus severe vel orthodoxe de hoc placito sentirent. Medio saeculo XVII<sup>o</sup>. Philan-

---

\*) "Demonstratio theol. et phil. quod aeterna impiorum supplicia non arguant Dei justitiam sed injustitiam." Tractatus, r. et l. SOCINI item ERN. SONERI. Eleutherop. 1654.

thropismus eandem spem fovit de omnium restitutione quam Piētismus, hoc praesertim urgens: Deum poenas infilgentem consilio duci emendationis.

Vidimus placitum τῆς ἀποκαταστάσεως multos inventisse paulatim patronos, quorum tamen numerus mox etiam augeretur, nam tempus instabat, ubi philosophia sensim sensimque omnem Sacro Codici denegaret auctoritatem, quo latus campus patuit rationi liberae quaevi fingendi. Nil mirum igitur eos, qui religioni Christianae ex animo addicti erant, omnes intendisse vires, ut eam ab hoc instanti periculo tuererentur. Philosophia autem Leibnitzio-Wolfiana argumentis e sola ratione haustis religionem naturalem fundare conabatur, quae non pugnaret cum patefactione. Quum eadem demonstrandi ratio, quam potissimum sequebantur philosophi, etiam viri orthodoxis accepta esset, multa dogmata in theologiam Christianam irrepserunt. Inter alia LEIBNITZIUS aeternitatem poenarum infernarum gravi arguento fulsit, dicens peccatum in infinitum procedens infinitas postulare poenas; quum vero orthodoxi libertatem humanam non vero providentiam divinam in inferno suspenderent, hac in re magni philosophi argumentationem probare non potuerunt. Quanquam Supernaturalistae antiquam Hadis tanquam loci separati notionem retinuerant, multi tamen vi et efficacitate philosophiae ducti conditionalem aeternitatem poenis tribuebant, licet perpetuum supplicium eum manere, qui in malitia per-

sisteret, acciperent. Pulcre KLOPSTOCK in poemate celeberrimo „Messias“ multorum aequalium opiniones exprimens \*), horrorem descriptis a poenis aeternis et †) spem injecit animis fore ut divina gratia parceret misericordiae suaee consciis.

Vehementer concussa est deinde religio christiana oppugnationibus Rationalistarum gravissimas quales continebant fragmenta Guelpherbitana a LESSINGIO edita. Non potuit non Eschatologia salva discedere e pugna, quae totum campum theologicum occupabat; multa vero rejicere cogebatur, quae adhuc inconcussa steterant. Audacter LESSINGIUS sustulit discrimen, quod Hadem a coelo separabat, quo liberaliori de poenis

\*) II: 811. Abadonna sic loquens inducitur:

..... Du in deinem Gerichten  
Unerbittlicher, ist denn in deiner Ewigkeit künftig  
Nichts von Hoffnungen übrig? Ach wird denn, göttlicher Richter,  
Schöpfer, Vater, Erbarmer! Ach nun verzweifl'ich von neuem

-----  
Gott! Verderber! zu furchtbarer Gott in deinen Gerichten!

†) XIX: 91 sqq. Proponit poeta Deum in judicio donantem Abbadonnae salutem:

..... Ich sah auch  
Vor dem Heer der Verworfnen, um Abbadonna, erwartend,  
Glühender Stirn, es lagen um sie die nächtlichen Wolken  
Unbeweglich, so sah ich die Todesengel! Sie wandten  
Starr von Abbadonna den Blick zu dem Throne des Richters.  
Hier verstummte der Vater der Menschen. Die Heiligen sahn ihn  
Als ob er unter ihnen noch einmal vom Tod' erwachte  
Da er wieder begann: Zuletzt, wie die stimme des Vaters  
Zu dem Sohn, wie der Jubel Nachhal, scholl von dem Throne  
Diese Stimme: Komm Abbadonna, zu deinem Erbarmer!

aeternis sententiae viam pararet. Vergebant autem disciplinae physicae et morales eo, ut poenae ex ipsa peccati natura sequentes tantummodo acciperentur. Infernum dicebat LESSINGIUS complexum omnium poenarum naturalium. Variae conditiones ab ecclesia sub variis nominibus sejunctim propositae depingebant animum cuiusvis hominis; nam et probo mali quid et improbo boni quid adhaerere. Sublatis igitur poenis, quae dicuntur, positivis, facilior transitus erat paratus a miseria ad salutem. Quum enim ante ex notione Dei punientis conclusio poenarum aeternitatis esset petita, nunc amplius certo statui nequit hominem cui locus convertendi datus sit numquam liberatum iri poenis, quae peccatum consequuntur.

Huic mitiori rerum eschatologicarum expositioni, accessit alterum argumentum. Jam medio aevo varii gradus ignis inferni cogitabantur, pro majori vel minori delicto; quorum ultimus tam exiguum ponebat supplicium, ut igni fere extincto nulla poenae notio relinqueretur.

Hisce expositis, nil mirandum est nos recentiori tempore plures offendere nostri placiti patronos. Prae aliis memorandus est SCHLEIERMACHERUS, qui aliquatenus ORIGENIS doctrinam instaurasse dici potest. A principio theologico profectus legem divinam postulare omnium restitutionem profitetur; melius vero dixerim, Deus omnes absolvat necesse esse. Libertatem enim ab-

solutam naturis creatis denegans, SCHLEIERMACHERUS tantam vim tribuit gratiae divinae ut aliquando Pauli vaticinium: Deum fore omnia in omnibus eventu comprobatum iri, statueret. Huius viri vestigiis institut SCHWEIZERUS, qui omnium *τελείωσιν*, sublato dualismo esse finem doctrinae Ecclesiae reformatae efficere studuit. Ante SCHWEIZERUM fuerunt multi, qui acriter JESU descensum ad inferos propugnarent, historica tamen symbolice accipientes. In quibus WETTIUS historicam narrationem mythum esse declaravit, qui contineret notionem universalem religionis Christianae. Hanc dogmatis explicationem dederunt porro WEGSCHEIDERUS, HASIUS, GRIMMIUS aliique. Facile intelligimus hosce viros hanc viam sibi parasse ad accipiendam *τὴν ἀποκατάστασιν πάντων*. HASIUS tamen libertatem moralem vindicans hominem in aeternum tendentem proponit; ut voluntas et ad bonum flecti aut ab eo deflecti posse cogitari debeat \*). Exegetica imprimis ratione ductus, NEANDER et aeternitatem poenarum et omnium restitucionem accepit, quae tamen opposita sibi conciliare studuit †). A Germania oculos convertentes in Angliam, ubi constitutum erat dogma aeternarum poenarum §) offendimus quoque nonnullos nostri placiti propugnatores. Ante hosce duos annos vir. clar. MAURICE edidit opus,

\*) Vide HASE, *Evang. Dogm.* ed. 4<sup>a</sup>. p. 112.

†) *Gesch. der Pflanzg.* II. 670, ed. 2.

§) *The english articles* 42.

quod inscribitur »Theological essais,« ubi auctor variis locis se τῆς ἀποκαταστάσει favere significavit<sup>\*)</sup>.

Plures etiam commemorare possem sed haec sufficiant de exteris. Jam attendamus ad nostram patriam, quae etiam doctrinae τῆς ἀποκαταστάσεως fautores habet. Vel inde patet quonam jure contendatur principium ecclesiae Reformatae favere particularismo, quum Lutherana universalismum doceat. Non omnes enumerare possum, qui principium ecclesiae Reformatae ita tenendum et accipendum esse recte viderunt, ut tollatur dualismus. Sufficiat dixisse recentiori tempore praeter REGENBOGEN, PERPONCHER aliosque multos in explicandis verbis JESU, apostolorumque aeternitatem poenarum spectantibus, sententiam haud aversatos esse, quae supplicium damnatorum certis finibus ac limitibus circumscribit. Unius MUNTINGHII sententia digna est, quae fusius memoretur, quippe qui sempiternitatem poenarum sacro codice contineri diserte professus, modeste tamen viam solvendi difficultates inde exortas quaerere haud recusavit. Quod ad poenarum indolem attinet, hanc sic sibi proponit ut omnino hae poenae mitigari possint, ita quidem ut miserorum conditio propius ad

<sup>\*)</sup> Cf. p. 450. 454. 476. alii. In fine disquisitionis haec leguntur.  
"I am obliged to believe in an abyss of love, which is deeper than the abyss of death. I dare not lose faith in that love, I sink into death, if I do. I must feel that this love is compassing the universe. More about it I cannot know. But God knows. I leave myself and all to Him."

felicitatem accedat, at, quatenus multum semper discriminis beatos inter atque damnatos remaneat, etiam perpetuae vel aeternae dici possint. \*) Nuperrime virum clar. SCHOLTEN τῆς ἀποκαταστάσεως doctrinam, utpote principio Reformatae ecclesiae nequaquam adversantem sed inde deducendam, palam professum esse quis nescit? †)

---

\*) *Geschiedenis der menschheid naar den bijbel*, dl. IX. bl. 201: "Als eene onophoudelijk durende en gevoelige schade, die wel aan den eenen kant niet alle toenadering tot gelukzaligheid uitsluit, maar die des nietemin hem dien zij treft, altijd zeer verre verwijderd doet blijven van dien hoogen trap van gelukzaligheid, welken zij genieten, die zich reeds in dit aardsche leven van hunne zonden bekeerd hebben."

†) Vide ejus opus celeberrimum: *de Leer der Hervormde Kerk in hare grondbeginselen, uit de bronnen voorgesteld en beoordeeld.*

JUDAORUM DE τῇ ἀποκαταστάσει MESSIANA EXSPECTATIO.

§ 2.

Antequam interpretationem, quam nobis proposuimus aggredimur, ille locus nobis tractandus est, unde nomen ἀποκαταστάσεως desumtum est nempe Act. III: 21, qui egregiam nobis praebet opportunatatem exponendi, quamnam exspectationem de ἀποκαταστάσει Messiana habuerint Judaei.

Locus laudatus sic se habet:

Act. III: 21. ὁν δεὶ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἐχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, ὁν ἔλαλησεν ὁ Θεός διὰ στόματος τῶν ἀγίων ἀπ' αἰῶνος αὐτοῦ προφῆτῶν. \*)

Hoc loco PETRUS, cohortatus Judaeos, ut JESUM ab ipsis repudiatum et interfectum, Messiam agnoscerent ac fidem in ipso reponerent, ut delictorum venia et salus, per illum e coelo redditum afferenda, ipsis con-

\*) Recte TISCHENDORFIUS e textu rejicit πάντων, quod ex vs. 18 irrepsisse videtur, quippe quod non legatur in codicibus A. B. C. D. et multis versionibus. In paucis codicibus reperitur lectio, ELZEVIRII, GRIESBACHII et SCHOLZII πάντων, omissa voce τῶν. Verba ἀπ' αἰῶνος αὐτοῦ omittuntur in cod. D. aliisque, quoniam offendebant librarios; externa vero argumenta ea in textum recipere jubent. Ponenda sunt ante τῶν προφητῶν quam constructionem TISCHENDORFIUS secutus est cf. Luc. I: 70.

tingerent, addit ὅν δεῖ οὐρανόν μὲν δέξασθαι κ. τ. λ. quod sic vertit LUTHERUS: »welcher muss den Himmel einnehmen, bis auf die Zeit, da herwiederbracht werde, alles, wass Gott geredt hat durch den Mund aller seiner heiligen Propheten, von der Welt an". Perperam LUTHERUS pronomen ὅν tanquam subjectum vertit; quod accusativum esse objecti, patebit ex notione verbi δέξασθαι. Verbum δεῖ praesenti tempore positum sequitur aor, inf. δέξασθαι, quae conjunctio indicat non tantum ad factum aliquod praeteritum respici, verum etiam vim illius facti perdurare in praesenti ac futuro. Aoristus infinitivus optime redditur vertendo *receptum tenere*; ita ut PETRUS et CHRISTI ascensionem in coelos habuerit in mente et coelos CHRISTI receptaculum manere significaverit. De sensu huius verbi δέχεσθαι valde disputatum est. Alii huic verbo notionem tribuerunt *occupandi*, quo pronomen ὅν accusativi subjectivi vim acciperet; alii *excipiendi* quo οὐρανὸν subjectum erit. A priorum parte stant imprimis Lutherani, qui hac explicatione dogma ubiquitatis firmare conabantur. Recte contra hos monuit MEYERUS, \*) notionem verbi δέχεσθαι huic explicationi plane sese opponere; nusquam enim significat *occupare*; quod si sibi voluisset auctor, solito verbo *κατέχειν* usus esset. Particula μὲν non habet in sequentibus quod sibi respondet, sed facile haec *ἀποσιώπησις*, ut recte dicit GROTIUS,

\*) Vide ejus comm. ad Acta apostol. l. l.

suppletur ex verbis ἀχρι της οὐρανοῦ αποκαταστάσεως, quasi dicat auctor: ubi illud tempus venerit ex coelo in terras redibit. Finis temporis, ad quem usque commoraturus sit CHRISTUS in coelo, exprimitur verbis ἀχρι της οὐρανοῦ. Fuerunt nonnulli qui, notioni praepositionis ἀχρι vim inferentes, explicarent *per tempora*, quamdiu durabunt tempora. Sed non est cur ab usitata particulae significatione recedamus. Quaenam sint illa tempora τῆς αποκαταστάσεως, eadem, quae sect. 20 dicuntur καιροί αναψησεώς apparebit si rectam dedimus significationem verbi αποκαταστάσεως. DIETELMAIR \*) duas ob causas ab usitata recedit notione. Ex eius sententia apostolus, particula ἀχρι usus, terminum indicat, quo usque CHRISTUS coelum occupare decreverit quidque CHRISTI redditum sit annuntiaturum. » Haec omnia, ait, scopum potius et effectum huius adventus constituunt et ratione temporis vel cum eo coincidunt vel plane sequuntur. » Haud negamus particula ἀχρι terminum indicari, sed hicce terminus per ipsum CHRISTI redditum constituitur. Docet, ni fallor, apostolus, CHRISTUM tamdiu in coelo moraturum esse, donec redeat ad efficiendam illam αποκαταστάσιν. Expectabant Judaei, ut mox videbimus, omnia a Messia restitutum iri. Hoc respiciens PETRUS ait Messiam tamdiu in coelo esse mansurum donec redeat ut illam, quam in mente habet, αποκαταστάσιν

\*) In dissertat. de αποκαταστάσει πάντων scripturaria et fanatica Altiori 1746.

perficiat. Altera, qua ducitur DIETELMAIR, causa est quaerenda in nexu sequentium verborum cum antecedentibus. Si in veram notionem verbi *ἀποκαθίστημι* inquirimus, nulla alia se nobis offert explicatio quam *restitutio in pristinum statum*; quod quidem agnoscit vir modo laudatus, addit vero idem nonnumquam praepositiones in verbis compositis omni vi destitutas esse. Haec vero laxa interpretatio admitti nequit, quippe quae contorqueat vulgarem usum scribendi. Tempora huius *ἀποκαταστάσεως* nota erant Judaeis, nam, ait apostolus, Deus de iis locutus est per os sanctorum suorum profetarum. Exigit nexus verborum ut ὁν referamus ad χρόνον, sicut patet abunde ex sect. 24, ubi dicuntur profetae κατήγγειλαν τὰς ημέρας ταῦτας. Nimis urget MEYERUS vim verborum απ' αἰώνος, quod non certum temporis punctum indicat, a quo inde profetae haec tempora annuntiare coeperunt, sed indefinite est positum. Idem est, quod belgice dicitur »van oudsher».

Hisce expositis, videamus, quid subintelligendum sit vocabulo πάντων. Quaeritur sitne haec vox ad universum rerum ordinem an ad homines, eosque vel omnes vel solos electos vel damnatos referenda, cui quaestioni nobis respondendum erit, postquam Judaeorum exspectationem de rerum instauratione tempore Messiae futura explicuerimus.

Si religiosas ideas variorum popolorum de futuro statu felicitatis legimus, facile animadvertisimus eas plus

minusve conformatas esse ad conditionem, in qua hi populi versabantur. Etiam Israelitae, qui omnem salutem cum terrenam tum spiritualem ad Messiae adventum referabant, talem sibi proponebant felicitatem, quae a dominio Ethnicorum eos redimeret, propriumque regnum domesticum restitueret. Tot regnis Chaldaeorum, Persarum, Romanorum subjectam rempublicam suam aliquando sui juris fore sperabant, e vatum oraculis regem e Davidica gente oriundum exspectantes, qui, Davidici regni gloriae memor, libertatem amissam recuperaret. JESU tempore hae exspectationes Judaeorum animis penitus infixae sedebant, quin etiam discipulos JESU ab illis haud prorsus immunes fuisse patet ex Act. I: 6 ubi JESUM interrogant: *κύριε εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰησοῦ;* Restitutum iri regnum Israeliticum a Messia putabant discipuli; quod CHRISTUS vero internum illud et spirituale conderet, animo nondum satis percepérant. Idem continent verba quae legimus Lue. XXIV: 21. *ἡμεῖς δὲ ἦλπιζομεν ὅτι αὐτὸς ἔστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰησοῦ;* Tristis haec animi expectatio indicat quam certo persuasum sibi haberent hi viatores Messiam esse vindicaturum libertatem Israëli; nam nisi hoc faceret, fidem ei habere non possent. Hae opiniones efficiebant ut discipuli CHRISTI verborum sententiam non semper recte percepérint utque ejus effata spirituale quoddam regnum spectantia explicuerint interdum de terreno et externo. Quum

tamen Judaicae civitatis forma esset theocratica, externum regni splendorem exspectare non poterant, nisi verus unius Dei cultus in pristinum sanctitatis statum restitueretur. Hic cultus restauratio per Messiam fieret; qui profeta edocurus homines de rebus divinis justamque colendi Dei rationem esset commendaturus. Huc probabiliter adducti sunt loco Deut. XVIII: 15 a PETRO citato Act. VII: 37. JOHANNES eum dicit (Ev. c. VI: 14) προφήτην τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Ipse CHRISTUS potestatem sibi tribuebat sacras ceremonias abolendi (Matth. XIII: 8 coll. Marc. II: 28. κύριος γάρ ἔστι τοῦ σαββάτου ὁ νιός τοῦ ἀνθρώπου.) Quemadmodum veteres profetae mores populi sui emendare studabant, sic Messias, a Judaeis exspectatus ad vitae sanctitatem animos exhortaturus erat. Hanc spem diserte enuntiat ZACHARIAS (Luc. I: 74, 75) fore ut Deus coleretur sincera pietate et sanctitate; et auctor alterius epistolae Petrinae (III: 13) ubi probitatem regnaturam esse annunciat in terra renovata. Porro Messias omnes lites compositurus, hominesque mutuae vinculo caritatis juncturus cogitabatur. Idem ille locus, quem modo memoravi, II ep. Petr. III: 13 mentionem facit renovationis mundi. De hacce a veris Israelitis sperata breviter verba faciam. Orta esse videtur haec opinio, quod Judaei mundum physicum aequa ac genus humanum post Adae lapsum peccato depravatum sibi proponebant. Quid? quod Messiam salutiferum hac mi-

seria liberaturum esse crederent. \*) Judaeorum scripta probant hanc sententiam et huc referenda videntur illa loca, ubi de fine mundi futuro sermo est. Aliquam probandi vim habere videtur dictum CHRISTI. (Matth. XXIV: 35 coll. Marc. XIII: 31) *οὐδανὸς καὶ οὐ παρελεύσονται.* Statuebant porro mundi purificationem fore igne, ut patet inter alia ex 2 Petr. III: 7 sqq. Novus mundus locum occupabit combusti illius (vs. 13) *καίνοις δὲ οὐδανοῖς καὶ γὴν καίνην προσδοκῶμεν.* Etiam auctor Apocalypseos huius renovati mundi mentionem facit (Apoc. XXI: 1).

Haec sufficient de Judaeorum sententia. Uberius haec exposuimus, ut scientes qualem *ἀποκατάστασιν πάντων* sibi cogitaverint Judaei, justam comparationem instituere possimus inter Judaicam doctrinam et Novi Foed. effata. Quoniam porro persuasum mihi habeo apostolos non uno temporis puncto sed paulatim aequalium opiniones deseruisse, haud inutile mihi visum est expondere, quaenam hac de re opiniones vignerint tempore CHRISTI et apostolorum, ut melius et clarius eorum scripta intelligamus. Haec enim ratio optime valet ad cognoscendum, quid aetati suae, quid magistro JESU CHRISTO debeant apostoli.

---

\*) Vid. J. F. WINZER, de *ἀποκατάστασι πάντων* in N. F. scriptis tradita. Comm. II, p. 10 sqq.

§ 3.

DE LOCIS, UBI η<sup>ς</sup> ἀποκατάστασις πάντων DISERTIS  
VERBIS DOCERI VICETUR.

1 Cor. XV: 22—28.

Vs. 22. ὡσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσουσιν, οὕτως καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. Postquam apostolus initio huius capituli de ipso CHRISTI in vitam reditu utpote re in facto posita scripsit, pergit sect. 12 sqq. indicando CHRISTI resurrectionem esse fundamentum nostrae fidei, Christumque dicit vs. 20 »ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων. Jam vero PAULUS comparationem instituit ADAMUM inter et CHRISTUM. Nonnulli interpres, PELAGIUS, OECUMENIUS, ERASMUS, GROTIUS verba ἐν Ἀδὰμ — ἐν Χριστῷ verterunt per ADAMUM — per CHRISTUM. Sed ita notiones praepositionum διὰ (vid. vs. 21) et ἐν inter se permutantur. Perperam MEYERUS statuit, hisce verbis significari »in Adamo et in Christo fundamentum positum est.” Accipienda esse mihi videtur interpretatio WETTHI, RUCKERTI, HEN-

GELII aliorum: »*in communione Adami — in communione Christi.*“ Hujus communionis participes dicuntur *πάντες*. Quinam vero sunt hīc intelligendi? Voci, uti in priori membro occurrit, omnes fere interpretes *omnium hominum* significationem tribuerunt, sed magna est dissensio inter viros doctos de *πάντες ζωοποιηθήσονται*, quorum alii *omnes* itidem *homines*, alii *solos Christi sectatores* eosque veri nominis denotari dicunt. Quominus posteriorem sententiam amplectamus impedit oppositio membrorum: *πάντες ἀποθνήσκουσιν — πάντες ζωοποιηθήσονται*. HENGELII interpretatio, verba *ἐν τῷ Ἀδὰμ* explicans *imagine Adami referenda*, non prorsus arctam illam necessitudinem, quae ADAMUM inter et nos intercedit, quam PAULUS sibi voluit verbis *ἐν τῷ Ἀδὰμ*, indicare mihi videtur. Etiam omissus articulus *οἱ* qui verbis *ἐν τῷ Ἀδὰμ — ἐν τῷ Χριστῷ* fuisset praeponendus, si *nonnulli* tantum homines denotarentur, *omnes omnino homines* intelligi monet. Verbo *ἀποθνήσκουσιν* opponitur *ζωοποιηθήσονται*. Discrimen adest, ni fallor, inter verbum *ζωοποιεῖν* et *έγείρειν*, quo posteriori sect. 12 et 16 utitur apostolus. Ibi PAULUS *factum resurrectionis* tantum memorat, nihil dicens *qualis* vita illa sit futura. Negat MEYERUS nostro etiam loco conditionem huius vitae designari, *ζωοποιεῖν* abstracte opponi *θανάτῳ* contendens; si vero attendimus ad necessitudinem, quae, secundum PAULUM, nos inter et ADAMUM intercedit et ad mortem moralem, quae inde consequitur, statuendum est com-

munionem CHRISTI non tantum efficere ut *physice existamus* sed etiam *ut vita vere vitali fruamur.*<sup>o)</sup>

Sensus igitur huius sectionis est: quemadmodum in communione ADAMI omnes homines morti obnoxii sunt sic omnes per communionem CHRISTI verae vitae participes reddentur.

Vs. 23. οὐαστος δὲ ἐν τῷ ἴδιῳ τάγματι quisque vero sua ipsius in classe. *Tāgma* proprie est *agmen militare*, quae notio retinenda est, quod PAULUS classes reviviscentium cum militum agminibus comparat. Απαρχὴ Χριστὸς, CHRISTUS primus est. Vocabulum *ἀπαρχὴ* ad primitias messis indicandas usurpabatur. Relicta imagine agminis militaris transit apostolus ad aliam comparationem, messis, cuius primitiae CHRISTUS est. Eum sequuntur οἱ τοῦ Χριστοῦ, CHRISTI sectatores qui in vitam redibunt ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. Exspectabatur Messias aliquando redditurus, ut regnum Messianum conderet. Hanc CHRISTI apparitionem verbis ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ significari satis probabile est; ipse autem PAULUS se in vita permansurum esse sperabat usque ad CHRISTI adventum, ut patet ex 1 Thess. IV: 15 sqq. †): Tempus aliquod futurum indicare voluit auctor, nam in sequentibus ὅταν παραδιδοῖ κ. τ. λ. etiam temporis punctum futurum designatur. Si igitur verba ἐν τῇ παρουσίᾳ conjungentes cum οἱ τοῦ Χριστοῦ referimus ad

<sup>o)</sup>) Rom. VIII: 11; 2 Cor. III: 6; Gal. III: 21.

<sup>†)</sup>) Vide LÜNEMANNI, comment. ad h. l. cap. V, s. 1.

tempus, quo JESUS hac in terra vixit, non recte procedit oratio.

Vs. 24. Tertiam classem significavit PAULUS verbis *τὸ τέλος, ὅταν παραδιδῷ τὴν βασιλείαν τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἔξουσίαν καὶ δύναμιν.*<sup>\*)</sup> Initium capit haec sectio a particula εἰτα, quae seriem concludere debet. Recte animadvertis HENGELIUS contra eos, qui *τὸ τέλος* nullo temporis intervallo separatum esse putant a resurrectione *τῶν τοῦ Χριστοῦ*, auctorem, si hoc sibi voluisse, pro εἰτα scripturum fuisse τότε. Quid vero est illud *τὸ τέλος?* MEIJERUS contendit seriem continuatam orationis postulare, ut subintelligatur *τὸν ζῶον οὐθῆναι*. Et habet sane haec interpretatio quo se commendet. Rectius tamen WETTIUS statuere mihi videtur verbis *τὸ τέλος* significari finem rerum, quae ad Eschatologiam pertinent. Sequentia autem *ὅταν παραδιδῷ — καταργήσῃ* et quae dicuntur sect. 28, monent, ni fallor, non tantum finem resurrectionis hic ab apostolo intelligi sed etiam finem omnibus rebus, quae ante extiterint, imponi *ἴνα γὰρ οὐ θεός τὰ πάντα ἐν πᾶσιν*. Quinam ad hanc classem reviviscentium referendi sint, dubium esse nequit. Quum modo CHRISTI sectatores memoraverit apostolus, satis

<sup>\*)</sup> Quod ad verba attinet huius sectionis, pro *παραδῷ* multi codices, A. B. D. E. F. G. alii, legunt *παραδῖσῷ* vel *παραδῖσοι*. LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS receperunt *παραδῖσοι*, qui vero optativus grammaticice explicari nequit. Vera lectio esse videtur, quam sequuntur RUCKERTUS et MEIJERUS, scribentes *παραδῖσῳ*.

patet jam significari eos, qui nondum CHRISTO se dederant. Conjunxit igitur PAULUS doctrinam Judaeorum de dupli resurrectione cum fide Christiana.<sup>a)</sup> Illustratur τὸ τέλος per ὅταν παραδιδῷ οὐ τ. λ. Multum disputatum de notione verbi παραδιδόναι. OSIANDER ejus vim *tradendi* vindicavit atque hanc dedit interpretationem: »CHRISTUM una cum regni sui civibus ipsum regimen Deo traditurum esse, ita tamen ut imperium eius nunc novam tantum formam accipiat." Alii aliter explicuerunt, quorum omnium explicationes memorare non juvat. PAULUS CHRISTUM dicit σὺν θεῷ οὐνομαζόντι Dei attamen dignitatem Deo inferiorem ei tribuit. Nimirum! nostro loco apostolus CHRISTUM Deo regnum suum traditurum esse scripsit; atque igitur regnum consummatum CHRISTI Deo, qui simul pater eius est, regendum committi affirmat. Additum οὐαὶ πατρὶ intimam ne-

<sup>a)</sup> Vid BERTHOLDT Christol., p. 176 sqq., 203 sqq. Ibí legimus: Liberatis ergo per Messiam ex orco Israelitarum animabus, corpora, quibus antea indutae fuerant, in meliorem statum reficta ubiquecumque terrarum e sepuleris vel aliis latibulis, canentibus tubis, prodibunt iisque denuo jungentur, quae resurrectio, cum praeclusis omnibus reliquis vita defunctis, solum ad Israelitas pertinebit et adhuc aliam post se habebit, nominatur ἡ ἀνάστασις τῶν ὄντων et ἀνάστασις ἡ πρώτη.

p. 203. Neque tamen Satanus in multum temporis libertate sua cum maxime recuperata uti poterit: nam populi isti, quos in proelium cum Messia pugnandum adducet, ex eo inferiores discedent ipseque in omne tempus in infernum dejicitur. Quo facto omnes reliqui homines vita defuncti, canentibus denuo tubis in vitam revocabuntur quae resurrectio ad omnes omnino homines e prole ABRAHAMI per ISAACUM et JACOBUM propagata hand subortos pertinebit atque simpliciter ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν vel si locum Act. XXIV: 15 hue trahi fas sit, etiam ἡ ἀνάστασις τῶν ὄντων nominata fuit.

cessitudinem, quae Deum inter Christumque intercedit, indicat, quibus verbis PAULUS traditionem imperii ideo fieri, quod Deus dignitate CHRISTO elatior est, dicere voluit, simulque CHRISTUM eodem consilio atque eadem mente regno suo praefuisse, quibus Deus est imperaturus. Haec regni traditio fiet quum CHRISTUS (alii perperam Deum subjectum habent verbi *καταργήσῃ*) vi sua privaverit, destituerit qualiacunque genera potestatis. Propria significatio verbi *κατάργειν* retinenda est, quum verba *ἀρχὴ*, *ἐξουσία*, *δύναμις*, ut abunde patet ex adjecto *πάσα*, qualemcunque potestatem significant.

Vs. 25. Rationem reddit PAULUS, cur CHRISTUS tum regnum sit depositurus, quando omnes potestates vi sua destitutae erunt; δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν. ο. τ. λ. regnare enim eum oportet scil. ex consilio divino, quod nobis patefit ex effato veteris foederis, ἄχοι οὐθῆ πάντας τοὺς ἔχθρους ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτῶν, quae verba desumpta e psalmo CX: 1 etiam a CHRISTO usurpantur Matth. XXII: 44. Duabus particulis ἄχοις οὐ tertiam nonnulli subjecerunt ἄν, quae recte a LACHMANNO et TISCHENDORFIO, bonorum et antiquorum codicum auctoritate nitentibus, expulsa est. Pro secunda persona PAULUS tertia usus est, inseruit autem adjectivum *πάντας*. GROTIUS aliique Deum subjectum habent verbi θῆ, citantes Psalmum CX et sequentem sectionem 27 sed contra hos recte MEIJERUS, WETTIUS, alii monuerunt praecedens pronomen αὐτὸν verbumque *καταργήσῃ* (s. 24)

postulare ut CHRISTUS subaudiatur. Desumta est imago a more regum orientalium, qui superatis hostibus pedes imponentes tanquam scabello iis uterentur. Sensus igitur est; oportet enim CHRISTUM regnare usque dum omnes hostes potestati sua subjicerit.

Vs. 26. ἐσχάτος ἡγθός παταργεῖται ὁ θάνατος. Praefixus artieulus subjectum esse ὁ θάνατος indicat, quum ἐσχάτος ἡγθός appositio sit. Mors quam male USTERI cum Satana confundit, tanquam persona proponitur, quae postremo potestate sua destituetur. Ἐσχάτος i. e. *ultimus* dicitur hostis, *quoniam hac in terra ultimus est adversarius CHRISTI* sectatorum omniumque hominum qui vinci debet, postquam vero omnes in vitam redierint, nullus morti locus erit.

Vs. 27. Ad probandum, mortem etiam subjectum iripergit apostolus: πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτῶν, quae verba sumta sunt ex Psalmo VIII: 6, ubi DAVIDES hominis praestantiam, quâ animalibus antecellit, describit. PAULUS ea dicta in CHRISTUM, hominem πατ' ἔξοχην applicat, unde tamen non sequitur hunc psalmum typico-messianum esse. Iterum PAULUS secundam personam in tertiam mutavit, quo fit ut verbum ὑπέταξεν ad Deum referendum sit. Sequentibus ὥραις εἰπη quid subintelligendum sit magna est quaestio. Putant HENGELIUS, MEIJERUS alii supplendum esse ὁ θεός; hic PAULUM haec scribentem spectasse putat locum Gen. L: 26—28, ubi Deus loquens inducitur. Simplicior

et verior mihi videtur sententia WETTII, suppletis  
 $\eta\gamma\alpha\pi\eta$ , quae omissio saepius occurrit v. c. 1 Cor.  
VI: 16. Nimis urget, ni fallor, HENGELIUS verbum  
 $\sigma\tau\alpha\nu$  dicens certum tempus (ab initio mundi) indicari, magis  
indefinite loquitur PAULUS scribens  $\sigma\tau\alpha\nu \delta\epsilon \varepsilon\pi\eta$  i. e.  
quum dicit. Aoristus vim praesentis habet. Jam, mutatis  
tempore et forma verbi, PAULUS refert verba psalmi  
atque orationem directam in indirectam convertit. Verbo  
 $\pi\alpha\nu\tau\alpha$  latiorem sensum tribuendum esse, quam DAVIDES  
in psalmo in mente habuit, vix opus est memorare, quum  
antecedentia satis hoc probent. Nulla difficultas interpreti  
sese offert in sequentibus, nisi quod, suppletis  $\pi\alpha\nu\tau\alpha \bar{\nu}\pi\tau\alpha\pi\tau\alpha$  post  $\delta\eta\lambda\omega\nu \sigma\tau\iota$ , incertum sit, quare haec addiderit  
apostolus. Nemo autem tam insipiens erit, ut Deum  
CHRISTO subjectum esse dicat. In varias partes abierunt  
interpretes. Nobis verisimile videtur, PAULUM haec scri-  
bentem studio, scriptoribus non semper proprio, ductum  
fuisse, perspicue scribendi, ne in re tam gravi male  
intelligeretur. Vertendum igitur est: »omnia enim pe-  
dibus eius subjicit: quum vero dicit scriptura, omnia  
ei subjecta esse, perspicuum est Eum excipiendum esse,  
qui omnia ei subjicit.

Vs. 28. Orationem inceptam persequitur PAULUS  
dicens,  $\sigma\tau\alpha\nu \delta\epsilon \bar{\nu}\pi\tau\alpha\pi\tau\alpha \alpha\bar{\nu}\tau\omega \tau\alpha \pi\alpha\nu\tau\alpha$ ,  $\tau\otimes\tau\epsilon \kappa\alpha \alpha\bar{\nu}\tau\omega$   
 $\bar{\nu} \nu\bar{\nu}\bar{\nu}$   $\bar{\nu}\pi\tau\alpha\pi\tau\alpha\pi\tau\alpha$   $\alpha\bar{\nu}\tau\omega \tau\alpha \pi\alpha\nu\tau\alpha$ ,  $\bar{\nu}\alpha$   
 $\eta\bar{\nu} \bar{\nu} \theta\bar{\nu}\bar{\nu} \tau\alpha \pi\alpha\nu\tau\alpha \bar{\nu} \pi\alpha\pi\tau\alpha$ . \*) Magnam difficultatem

\*) Particulam xxi, a librariis et antiquis interpretibus dogmaticas ob-

pepererunt theologis verba τότε καὶ αὐτὸς κ. τ. λ.; multi enim ita verba explicare conati sunt, ut suam sententiam apostolo obtrudere possent. Si nullis dogmaticis studiis abduci nos patimur, neque HIERONYMO et AUGUSTINO assentiemur, explicantibus personam CHRISTI secundum naturam humanam subjectum iri, neque KRAUSIO et GREVIO, qui verba οὐδὲν ita interpretantur ut sint filius hominis seu Adami (quae sententia satis refutatur sect. 24<sup>a</sup> ubi verbum πατρὶ nostrum νοῦς explicat). Simpliciter PAULUS significat, filium Dei depositum esse regnum sibi mandatum.<sup>\*)</sup> Voluntario se subjectum esse CHRISTUM et libenter, multis verbis probare non opus est. Quis enim nescit, CHRISTUM semper cum Patre intima animi necessitudine conjunctum fuisse? Non invitus igitur tradet FILIUS regni principatum Patri suo, ut Deus, qui adhuc per CHRISTUM regnaverit, ipse nunc regnum teneat. Quid mirum? si attendimus CHRISTUM ideo regem appellari, quod ipse Mediator Deum inter et homines, sponte praefectus dicitur iis, quos conciliavit: Christumque tunc munere mediatorio defunctum esse, quando omnes homines ad Deum reduxerit,

---

causas omissam, recte in secunda editione restituit TISCHENDORFIUS. Aequo jure vocabula διάδημα, a nonnullis expulsa vetustissimorum scriptorum auctoritate in textum sunt recipienda. Utrum adjectivo πάτερ, in fine huius sectionis articulus ταῦτα sit praeposendus necne, in dubium vocatur: quaestio vero minus gravis est, quum eadem semper sit significatio: "quando autem illi subjecta erunt omnia."

<sup>\*)</sup> Vide hoc de loco USTERI, *Entwicklung des Paulinischen Lehrbegriffes*, ed. 6, pag. 355 infra.

omnesque adversarios vicerit vi sua morali. Objecerunt quidem nonnulli sectione 25<sup>a</sup> mentionem non fieri victoriae, quam CHRISTUS per *vim moralem* reportaverit, sed recte contra hos vir. cl. SCHOLTENUS \*) monuit in tota hac pericope regnum tantum morale significari et potestates morales tanquam personas nobis proponi (*ἀρχαὶ, ἔξουσίαι, δυνάμεις*) unde sponte fiebat, ut per vim externam eas subigi scriberet apostolus. *Consilium*, quo CHRISTUM etiam subjectum iri necesse sit, indicant verba *ἴνα γέ ὁ θεός τὰ πάντα ἐν πᾶσιν*. Consilium his verbis indicari perperam negat HEIDENREICHIUS, vertens praepositionem *ἴνα* per *ita ut*. Scripsit apostolus *ὁ θεός*, quae verba ex vulgari loquendi usu in libris N. F. obvio, *Deum O. M.* denotant, de quo Apostolus (Rom. XI: 36) *ἰξ αὐτοῦ καὶ δι’ αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα*. Utrius sit generis, masculini an neutrius vocabulum *πᾶσιν* dubitatur, quanquam plerique interpretes illud huic praeferunt. Significantur, ni fallor, *omnes naturae ratione praeditae*, uti nobis appareat ex praecedentibus sect. 23—25. Quid vero sibi vult apostolus? Omnia interpretum sententias referre non juvat, memorare sufficiat, alias de omnibus hominibus alias de probis tantum sectatoribus CHRISTI alias de omnibus probis, inter quos recensendi sint etiam ii qui ante CHRISTUM vixerunt, mentionem fieri. Persuasum nobis est, apostolum hoc loco *τὴν ἀποκατάστασιν*

\*) Vid. *Leer der Hervormde kerk*, 2<sup>e</sup> druk, 2<sup>e</sup> dl., pag. 436, 437.

*πάντων* docere. Verbo *πᾶσιν* ii etiam subintelligendi sunt qui in tertia classe reviviscentium recensentur, qui que, si recte se habet nostra interpretatio, nondum CHRISTO hac in terra degenti se dederant. Deinde quid sibi significaret illa *ὑποτάγη πάντων*, si excipienda esset quaedam potestas Deo adhuc infesta? Si regnum morale, a CHRISTO conditum non ad omnes pervenisset? Profecto non absoluta esset victoria CHRISTI, si aliquot saltem superstites mansissent, qui eius efficacitati resisterent. Absolutam victoriam ab apostolo spectatam esse patet ex sect. 26<sup>a</sup> ubi mors a CHRISTO subacta nobis proponitur. Recte dicit vir. clar. REUSS <sup>\*)</sup>: si mortem victimam nobis cogitemus nos non posse accipere eius potestatem dominari adhuc damnatis. Denique »Deum omnia esse in omnibus», ab apostolo scribi non potuisse, si in aliis Deum justitiam tantum manifestaturum esse, in aliis caritatem credidisset PAULUS. Conclusio ergo est PAULUM in nostri capitibus sect. 22—28 revera docuisse τὴν ἀποκατάστασιν *πάντων* atque bonum eventum, quem habiturum est imperium CHRISTI, vaticinatum esse.

---

\*) In opere *Histoire de la theologie chrétienne au siècle apostolique*, tom. 2, pag. 258 sq. «N'y-a-t-il pas une contradiction à représenter la mort comme vaincue à son tour, comme anéantie même et à laisser pourtant en son pouvoir la majorité des hommes? De deux choses l'une, ou bien nous nous en tenons avec le système au fait de la damnation éternelle de plusieurs, alors la mort subsiste comme puissance à côté de la puissance de Dieu, qui est une puissance de vie, ou bien nous posons en principe avec notre passage le fait de l'anéantissement de la mort et nous en conclurons à la restitution des damnés.”

Rom. V: 18. Ἐρα οὐν ως δι' ἔρος παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα, οὐτως καὶ δι' ἔρος δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαιώσιν ζωῆς.

A sectione 12<sup>a</sup> incipiens PAULUS, comparatione ADAMUM inter ac CHRISTUM instituta, exponit, quanta pernicies ex ADAMI παραπτώματος, quanta salus ex CHRISTI δικαιώματος in nos redundet atque nostra sectione, ut appareat ex particulis ἐρα οὐν, conclusionem facit suae orationis.

Nonnulli interpres putarunt, PAULUM, discursione facta (sect. 13—18), nostro loco ad argumentum redire, a quo digressus erat. Sed probabilior nobis est sententia eorum, qui apostolum in discursione persistere aiunt. Si priorum amplectimur opinionem ex sect. 12<sup>a</sup> supplendum est η ἀμαρτία εἰσῆλθεν; melius vero cohaeret noster locus cum proxime antecedentibus si supplemus τὸ κοίμα ἐγένετο — τὸ χάρισμα ἐγένετο. Vocabuli ἔρος genus dubium esse non debet. Si conferimus sect. 17 verba ἐν ἐνὶ παραπτώματι illustrata per διὰ τοῦ ἔρος, incertum esse nequit nostra verba eodem modo esse explicanda. Totum genus humanum (εἰς πάντας ἀνθρώπους) per ADAMUM condemnatione dignum dicitur, unde sequitur ut in altero sectionis membro iisdem verbis eandem vim tribuere debeamus. In priori membro *necessitas* urgetur, quae τὸ κατάκριμα affert omnibus hominibus. Nisi tertium comparationis omittamus, haecce *necessitas* salutis accipienda est in altero membro. Oppositum παράπτωμα explicat δικαιώμα. Nam peccato

**ADAMI**, quod sect. 14<sup>a</sup> dicitur παράβασις, transgressio legis divinae oppositum esse debet, **CHRISTI** factum illi legi consentaneum. Si igitur peccatum **ADAMI** Dei condemnationem secum fert, mors voluntaria **CHRISTI** supremi Numinis comprobatione gaudet. Quae si recte se habent, δικαιώματα nihil aliud significare potest nisi obedientiam a **CHRISTO** in morte subeunda Deo praestitam. Fructus huius δικαιώματος est omnium hominum δικαιώσις ζωῆς, justificatio quae vitae vere vitalis fons est. Huc igitur reddit verborum sensus: si per unum peccatum **ADAMI** in judicio condemnatione digni facti sumus omnes, juste factum **CHRISTI** omnes justificat veraeque vitae participes reddit: quo ad nostrum argumentum videtur mihi apostolus totum mundum peccato adhuc obnoxium tanquam per **CHRISTI** meritum plane justificatum sibi proposuisse, <sup>\*)</sup> unde conclusionem petimus dogma τῆς αποκαταστάσεως revera a PAULO hocce loco doceri.

Rom. XI: 32. συνέκλεισεν γάρ ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπειθεῖσαν ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. Vocabulum συνέκλεισεν valde vexavit interpretes, qui dogmaticis studiis ducti, alii aliter, notionem huius verbi infringere conabantur. Praeeunte CHRYSOSTOMO multi συνέκλεισεν reddiderunt explicando ἡλεγξεν, ἀπέδειξεν sed nullis argumentis haec interpretatio se commendat, alii vero,

---

<sup>\*)</sup> Vid. USTERI, l. l. pag. 246, 247.

ne PAULI verba ab ipsorum sententia abhorrere viderentur, Deum hocce verbo non proponi tanquam auctorem inobedientiae \*), sed qui hanc inobedientiam et incredulitatem fieri passus sit dicunt. Quae opinio et pugnat cum antecedentium sensu, et vim infert verbo συνέκλεισεν. Constructio huius verbi cum praepositione εἰς etiam occurrit in epist. ad Gal. III: 23 cum praep. ὑπὸ in eiusdem epistol. c. III: 22. Ex locis, a MEIJERO allatis apparet Graecitatem posteriorem ferre significationem *tradere alicujus potestati*, quae explicatio confirmatur constructione verbi Hebraeci סְנָתָן cum praep. נִ. Metaphorice igitur accipendum est »concludere in aliquam potestatem“ pro »redigere aliquem in potestatem.“ †) Sequentia satis clara sunt et nulla egent explicatione. Nostro loco PAULUS causam reddit eorum, quae modo scripserrat de consilio Dei erga Judaeos et Ethnicos. Dividerat apostolus mundum in duas partes, Ethnicos et Judaeos, quorum tamen fata inter se arctissime conjuncta cogitantur. In fine cap. X vaticiniis de utrisque memoratis, pergit cap. XI dicendo Judaeos partim electos partim rejectos esse; jam vero sublime Deum consilium aperit quo incredulitas Judaeorum salutem gentium sit effectura: postremo addit totum Israelem salutem manere. Quemadmodum

\*) »Conjecit universos in inobedientiam i. e. voluit esse sibi inobedientes.« BÖHME.

†) Variant codices in lectione vocabulorum τοὺς πάντας: D. E. legunt τὰ πάντα, idem fere F. G. omittentes articulum. Praferenda videtur lectio τοὺς πάντας: facile antem ex Gal. III: 22. τὰ πάντα irrepserunt.

igitur inobedientia Israelis gentibus salutis effectrix fuit, sic Deus voluit omnes, tam Judaeos quam Ethnicos esse inobedientes ut omnium misereatur. Injuria negarunt nonnulli hoc loco inobedientiam tanquam medium proponi, qua usus sit Deus, ad iis salutem parandam, quibus bene cuperet. Neque mirum est PAULI disputationem hunc habuisse eventum; nam a parte theologica rem spectans, Dei suprematum vindicat. Porro sensus nostrae sectionis plane oppositus est decreto absolutae reprobationis, uti candide profitetur MEYERUS, nam dogma τῆς ἀποκαταστάσεως recte etiam huic loco superstruitur. A PAULI mente abhorrere mihi videntur quae adjecit MEYERUS, Dei nempe propositum omnium quidem comprehendere salutem, hinc vero nondum sequi nullos sua ipsorum culpa huius salutis expertes fore. Divinum autem consilium irritum fieri \*) posse minime convenit cum notione Dei omnia absoluta potestate gubernantis qualem PAULUS sibi proposuit. Verbis τοὺς πάντας non tantum *credentes* vel *eos*, de quibus dixerat PAULUS, significari appareat ex antecedentibus, ubi apostolus *omnes homines* complectitur Judaeos et Ethnicos commemorans.

Eph. I: 10. εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν παιδῶν, ἀναπεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ. †)

\*) Cf. Rom. VIII: 29, 30.

†) Sic textum refert TISCHENDORFIUS, edit. II. Lips. recte omittens lectionem codicis A praeposit. εἰς in κατὰ τὴν mutantis. Particula τε

Arctissime noster locus est conjungendus cum antecedentibus, ita ut praepositio *της* propositum indicet, quo facta sint ea, quae modo memoraverat PAULUS sect. 7—9; vocabulum *οἰκονομία* proprie significat *dispensationem, administrationem* et praecipue de Deo bona divina dispensante usurpatur. In 1 Cor. IX: 17 PAULUS de munere apostolico *dispensatione Dei* sibi mandato loquitur. *τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν* est plenitudo temporum, quae aderit, ubi tempus antemessianum absolutum erit. Recte MEYERUS \*) genitivum *οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος* explicat vertens: „*dispensatio propria plenitudini temporum*”, nam sic nihil post *οἰκονομίαν* est subintelligendum et clara fit conjunctio *facti* cum temporis puncto. Quid sit *μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ* (sect. 9<sup>a</sup>) declarat apostolus verbis *ἀναπεφαλαιώσασθαι π. τ. λ.* Eandem vocem *ἀναπεφαλαιόν* invenimus Rom. XIII: 9, quo in loco illam vertimus *in summam colligere*. Praefixum *ἀνά* omni fere vi ibi est destituta, qua de re nostro loco hanc praepositionem urgeamus, necesse non duxerim. Deus in CHRISTO *τὰ πάντα* in summam sibi esse collecturus (nam media forma verbi *ἀναπεφαλαιώσασθαι* non est negligenda) dicitur. Non tantum creaturas rationales vel homines intelligit apostolus, sed absolute omnes creaturas, tam

post *τὰ* in textum non est recipienda, neque cum LACHMANNO et RUCKERTO pro *ἐπι* legendum est *ἐπι*. Ab utraque parte stant multi testes, sed PAULI loquendi usus (III: 15, Col. I: 20) dubium interpreti non relinquit.

\*) Vid. Comment. ad h. l.

rationis participes quam expertes. In CHRISTO collectum iri omnia ait PAULUS; CHRISTUS nempe est τὸ κεφάλαιον. Definiuntur τὰ πάντα per sequentia τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Absolute posita verba τὰ πάντα viam nobis aperiunt, ut singulas partes τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς et τὰ ἐπὶ τῆς γῆς latissimo sensu accipiamus, neque cum Calvino de angelis neque cum aliis de piis manibus defunctorum mentionem fieri putemus. Docet, nostro saltem judicio PAULUS, Deum omnia tam res quam personas creatas, sive in coelis sive in terra sint, in CHRISTO sibi esse collecturum in summam. Deus aliquando harmoniam, cui infestum est peccatum, restituet in CHRISTO. Sed quomodo omnia collectum iri dici possunt, quum multa sint Deo infensa? Nonnisi peccato sublato hoc Dei consilium ratum fieri potest. Perperam negat MEYERUS τὴν ἀποκατάστασιν hoc loco doceri; ejus sententia autem: in τῇ ἀνακέφαλαιώσι secretum iri eos, qui CHRISTO fidem non habentes daemoniacis potestatisibus se dederint, nihil habet quo se commendet, imo potius pugnare videtur cum notione, quam ipse tribuit verbis τὰ πάντα. CHRISTUS habendus non est τὸ κεφάλαιον τῶν πάντων, si adsint qui menti ejus adversentur. Quod porro idem interpres monet PAULUM de naturis creatis tantum, non vero de singulis personis, praedixisse τὴν ἀνακέφαλαιώσιν, primo obtutu haud rejicienda videtur animadversio. Improbabilis tamen est haec opinio, nam si huic multitudini multi homines inesse cogitantur

qui perversa mente CHRISTUM rejiciant, a PAULI mente longius aberramus, qui haud sine magna vi scripsit ἀναπεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Addita autem circumscriptio verborum τὰ πάντα aperte indicat tam late hunc sensum accipi debere ut nihil excludatur. Non dubitamus igitur, quin PAULUS τὸ μυστήριον τοῦ Θεληματος αὐτοῦ (τοῦ Θεού) esse docuerit τὴν ἀποκατάστασιν πάντων.

Phil. II: 10, 11. ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυν κάμψῃ ἐπονρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. Postquam apostolus tanquam exemplum CHRISTI humilitatem attulisset, quod Christiani Philippenses imitarentur, sect. 9<sup>a</sup>, dicit ideo Deum illum in coelum extulisse eique nomen (vid sect. 11 ὅτι κύριος ο.τ. λ.) dedisse omni nomine sublimius pergitque sect. 10 s. q. consilium indicando quo sit elatus. Recte HENGELIUS verba ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ explicuit: *eius nomen profitens*, multis locis N. F. allatis ad hanc significationem probandam. Vindicatur etiam haec inter pretatiosequentibus paralelis: καὶ πάσα γλῶσσα ἔξουσιογήσεται ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστός εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς. Memorare vix opus est verbis γόνυν κάμπτειν signum reverentiae orientalibus usitatum indicari. Pulcre CALVINUS in commentario dicit » hoc ritu genuflexionis observare convenire non interiore modo cordis affectu sed externa quoque professione colendum esse Deum ». Deo autem honorem illum ab apostolo nostro loco tribui non Christo, effecisse mihi videtur HENGELIUS. E

multis interpretationibus verborum ἐπονθανίων ἐπιγείων  
 καὶ παταγθονίων hanc eligimus quae genios coelestes,  
 homines hac in terra viventes mortuosque intelligit.  
 Huc ergo redit sensus: »ut omne genu, CHRISTI nomen  
 profitens, flectatur, geniorum caelestium, viventium hac in  
 terra atque mortuorum.” Iam addit apostolus altero mem-  
 bro hujus sectionis: καὶ πᾶσα γλῶσσα \*) ἔξομολογήσεται ὅτι  
 πάριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός. Nullam  
 difficultatem praebent haec verba, si rite conjungimus εἰς  
 δόξαν Θεοῦ cum verbo ἔξομολογήσεται. Aperte docet apo-  
 stolus omnes e consilio Dei JESUM CHRISTUM tanquam  
 Dominum suum esse professuros, qua professione Dei  
 gloria celebretur. Recte se habent dicta CALVINI, qui  
 tam internum animi cultum quam externam professionem  
 indicari statuit, eidem vero assentire nequeo, neganti  
 PAULUM de voluntaria obedientia hic loqui. Quisquis  
 autem CHRISTUM tanquam Dominum suum ex intimo  
 animo agnovit, CHRISTO fidem habeat idem necesse est:  
 nam sola fides hanc animo dat persuasionem. Videtur  
 PAULUS spectasse tempus, quo Dei consilium de CHRISTO  
 ratum fiet, et certam animi persuasionem enuntiasse,  
 fore ut omnes, ubicunque sunt, JESUM Dominum  
 suum agnoscentes et colentes, Dei laudes celebrent, qui  
 tantam salutem iis paraverit in CHRISTO.

\*) Futurum ἔξομολογήσεται retinendum putavi auctoritate multorum  
 testium, quum fortasse hinc exortus sit Aoristus, quod melius cum prae-  
 cedenti cohaereret sensus, si verbum ἔξομολογήσεται a particula τνω  
 penderet.

Col. I: 20. *καὶ δὲ αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, εἰρηνοποιῆσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι᾽ αὐτὸν, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.* Constructio verbi *ἀποκαταλλάσσειν* cum praepositione *εἰς* multis interpretationibus ansam dedit. Nobis videtur esse dictio praegnans; praepositio *εἰς* cum accusativo maiorem vim habet quam Dativus, cui eandem significacionem multi tribuerunt. Pendet infinit: *ἀποκαταλλάξαι* ab antecedenti *εὐδόκησεν*, quum pronomen *αὐτὸν* respiicit subjectum huius verbi ὁ Θεός. CHRISTUS proponitur tanquam medium (*δι᾽ αὐτοῦ*) qui reconciliabit omnia cum Deo et ad Eum reducet. De *τὰ πάντα — τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.. τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* conferantur quae supra diximus ad. l. Eph. I: 10. Fuerunt, qui *ἀποκαταλλάξαι* explicarent per *ἀνακεφαλαιώσασθαι* (Eph. I: 10) sed, quanquam hoc verbum lato sensu hic est accipendum, nusquam tamen talis significatio ei tribuitur. Effecit Deus illam reconciliationem per pacificationem sanguine crucis eius i. e. CHRISTI effectam. Quinam pacificentur, supplendum est ex objecto verbi *ἀποκαταλλάξαι*, cuius *εἰρηνοποιῆσας* est appositorum.

Hisce de significatione expositis, videamus quomodo noster locus cohaereat cum antecedentibus, ut recte intelligamus quid sibi voluerit apostolus. Sectione 15<sup>a</sup> apostolus excusum incipit de illo *ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν.* Sublimis CHRISTI dignitas eiusque cum mundo relatio memorantur sect. 15—17, quum seq.

sect. appelleatur η κεφαλή τοῦ σώματος, τῆς ἐκκλησίας. Transit igitur apostolus a CHRISTO omnium creatore ad CHRISTUM caput ecclesiae, ostenditque quam elatus sit supra omnes. Causa huius elationis perspicitur, si reputamus, quid de eo decreverit Deus. Voluit enim ἐν αὐτῷ (τῷ Χριστῷ) τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα. Hocce divinum consilium nobis apertum melius cognoscendum praebet CHRISTUM. Annexitur id, quod a Deo decretum erat, facto historico mortis CHRISTI, qua ratione docet apostolus Deum propositum suum perficere atque ergo perfecturum esse etiam τὴν ἀποκαταλλάξιν τῶν πάντων. Contra OLSHAUSENIUM, qui propositum Dei urget, negat vero τὴν ἀποκαταστασιν hic doceri, contendimus totum contextum postulare, ut accipiamus omnia aliquando per CHRISTUM cum Deo reconciliatumiri: nam et Deus proponitur qui simul perficiat, quod velit: et verbum κατοικῆσαι, cui ordine subjunctum est ἀποκαταλλάξαι non tantum Dei voluntatem de CHRISTI persona continet sed etiam revera in CHRISTO inhabitasse τὸ πλήρωμα significat.

1 Tim. II: 4. ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι καὶ τὶς ἐπίγνωσιν αἰληθεῖας ἐλθεῖν, qui omnes homines servari vult atque ad veritatis cognitionem pervenire. Docet apostolus Dei voluntatem, omnium hominum salutem complecentem. Non sejungenda sunt salus et cognitione veritatis: altera ab altera separata cogitari nequit.

Regnum divinum autem totum hominem convertit, non tantum singulas eius partes comprehendit. Totus homo ad meliorem educitur conditionem; quae imperfecta nobis adhaerent in sentiendo, volendo et cogitando, sensim semsimque a religione Christiana emendata in perfectionem tendent. Perspicue enuntiat PAULUS omnium (*πάντες* hic non est explicandum per *παντοίους* vid. vs. I) salutem voluisse Deum. CALVINUS, praejudicata opinione occupatus, non de singulis hominibus mentionem esse dicit, quae explicatio minime cum contextu convenit (vid. vs. 1—3). Patitur quidem verbum *θέλειν* notionem voluntatis deliberante ratione non directae sed haec non nimis est urgenda nostro loco. Suadet PAULUS in antecedentibus TIMOTHEO, ut precaretur pro regibus, imo omnibus hominibus. Quid sibi velit haec admonitio patet ex sequentibus, ubi tales preces Deo acceptas esse apostolus affirmat. Non admittendum est discrimen, quod antiqui dogmatici observarunt inter Dei voluntatem manifestatam atque occultam, nam arctissimo vinculo altera cum altera conjuncta est. Rejicimus igitur eorum sententiam, qui nostro loco Dei voluntatem patefactam tantum significari dicunt.

Ad hunc locum referri debent quae legimus 1 Tim. IV: 10 ὃς ἐστιν σωτήρ πάντων ἀνθρώπων μάλιστα πιστῶν, qui Servator est omnium hominum maxime fidelium. Inter praecepta, quae PAULUS dat TIMO-

THEO praescribitur exercitatio της εὐσεβίας. Quum exiguum commodum praebeat exercitatio corporis, haec animi cultura omnibus rebus inservit, quippe quae habeat promissa vitae praesentis et futurae. Iam vero apostolus adversarium sibi proponit, roganter cuinam commodo pietas inserviat in rebus adversis et persecutionibus, quam CHRISTI causa paterentur Christiani. Continet noster locus responsum huic quaestioni; nam εὐσεβία tantam efficit fiduciam in Deo repositam, quae hostes quidem exacerbet, ipsos vero christianos, non obstantibus rebus adversis, confirmet. Unde haec imperturbabilis fiducia? Adest causa huius constantiae in eo, cui fidem habent. Est nempe Deus vivus, qui omnium hominum maxime fidelium servator est. Hic ab omni instanti periculo servat omnesque beneficiis afficit. Quid? si omnes ab eo servantur, nonne ii potissimum eius auxilii participes erunt, qui toti se ei dederint. Salus, quam praebet Deus, aeterna est, et quotquot illam constanter exspectant breves hujus vitae perpessiones laeto cum animo ferunt. Non inepte igitur additum est μάλιστα πιστῶν. Est climax observandus, quem recte CALVINUS sic explicat: »Intelligit (PAULUS) Dei beneficentiam ad omnes homines pervenire. Quod si nemo est mortalium qui non sentiat Dei erga se bonitatem eiusque sit particeps, quanto magis eam experientur pii, qui in eum sperant?“ \*) Hoc loco aequem

\*) Vid. CALVINUS comment. ad. hl.

ac in 1 Tim. II: 4 docet apostolus Deum omnibus propitium esse, quae verba evertunt eorum sententiam, qui Deum aliis bene cupere alios pernicie reservare dicant. Ceterum quod ad *τὴν ἀποκατάστασιν* attinet, etsi huic loco non tantam vim probandi tribuendam esse concedimus, quam iis quos supra explicuimus, satis gravis tamen nobis visus est, ut hic memoretur atque transitum paret a locis diserte *τὴν ἀποκατάστασιν* docentibus ad eos, qui oblique de illa agunt.

LOCI, QUI CITANTUR UNDE EFFICIATUR η ἀποκατάστασις πάντων.

1 Petr. III: 19, 20. θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι, ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν πορευθεὶς ἐκήρυξεν, ἀπειθήσασίν ποτε ὅτε ἀπεξεδέχετο η τοῦ Θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε, κατασκεναζομένης κιβωτοῦ, εἰς ἣν ὄλιγον, τοῦτ' ἔστιν ὅπτῳ ψυχῇ διεσώθησαν διὸ ὑδατος.<sup>\*)</sup> Hoc loco PETRUS CHRISTI exemplum proponit, qui non tantum mortem subiit pro injustis, sed etiam omnia fecit ut salutem afferret mundo depravato. Nam quum mortuus esset carni vivificatus vero spiritui vel tum non destitit ab Evangelio annunciando. Multi interpres verborum vim imminuere conati sunt, ut, qui dicitur, descensus CHRISTI ad inferos, non legerent. Ad recte intelligen-

\*) Post ἐν Φυλακῇ additum legimus in codice C. et multis versionibus καταχειλεισμένοις, sed omissendum videtur. Facile explicandi causa margini adscriptum in textum irrepsit. Retinenda est lectio πνεύματι, quam nonnulli mutarunt in πνεύματι, sine auctoritate antiquorum codicium. Legunt GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS pro ἀπεξεδέχετο, ἀπεξεδέχετο sed nulla fere testium auctoritate haec lectio commendatur quare sine dubio scribendum est ἀπεξεδέχετο.

dum hunc locum difficilem in primis attendamus ad verba *θανατωθεὶς* — *ζωοποιηθεὶς*. Significatio vocis *θανατοῦντος* incerta non est: quoties enim in N. F. obvenit, mortis notio proprie vel improprie sumtae adest. Rom. VII: 4. *θανατοῦντος* cum dativo construitur ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ, ubi PAULUS dicit, nullum vinculum, nullamque necessitudinem jungere Christianos cum lege. Legi mortui sunt. Eodem modo explicari debet nostro loco dativus *σαρκὶ*. Alterum verbum *ζωοποιεῖν* ne confundatur cum *ἐγείρειν*, sicut multi interpretes *ζωοποίησιν* non distinguunt ab *ἀναστάσει*. Quanquam enim scriptores N. F. non semper discriminem inter haec vocabula obtinens tenuerunt, inveniuntur tamen loci, ubi alterum ab altero discernendum videtur. Joh. V: 21 legimus οὐ πατήσῃ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς καὶ *ζωοποιεῖ* ubi, nisi ineptam tautologiam apostolo tribuere velimus, discriminem adesse debet inter *ἐγείρειν* et *ζωοποιεῖν*. Sequentis membra ratione habita, alterum de physica existentia, alterum de vita spirituali intelligendum est. Cf. 1 Cor. XV: 22: Quam vim si nostro loco tribuimus verbo *ζωοποιηθεὶς*, apte procedit oratio. Negari enim nequit πνεύματι (s. 18), respicere ad τοῖς πνεύμασιν (s. 19), quibus sine dubio significantur defunctorum animi; unde sequitur, ni fallor, apostolum dicere voluisse CHRISTUM eadem conditione usum, qua illa πνεύματα, evangelium annunciasse. Recte ERASMUS (paraphr. ad h. l.) sensum reddidit explicans: »quemadmodum

(CHRISTUS) apud homines mortali corpore circumdatos, ipse corporeus praedicavit evangelicam doctrinam, ita corpore posito adiit eos spiritus qui et ipsi corporibus exuti degebant apud inferos." Si recte se habet haec explicatio, ex opposito appareat, quid sibi velit substantivum  $\sigma\alpha\rho\xi$ . Non subsistendum est in sola notione corporis; nam  $\sigma\alpha\rho\xi$  quoties in N. F. oppositum est  $\pi\nu\epsilon\nu\mu\alpha\tau\iota$ , semper fere tanquam sedes peccati cogitatur, unde omnis dimanat mala proclivitas. °)

Quod ad sectionem sequentem attinet, male nonnulli illam ita explicuerunt, ut NOACHI, CHRISTI spiritu inflammata praedicatio significaretur. In nostra patria vir cl. PRINS hanc sententiam propugnavit †): quae tamen interpretatio e contextu ita refutata est a viro doct. DOEDES l. 1. ut addendum nihil habeam. Multum disputatum est de initio sect. 29. Sic GROTIUS verba  $\tau\nu\omega$  interpretatur »per quem Dei spiritum missum in Apostolos" additque: »CHRISTUM dici praedicasse gentibus, quia apostoli id eius nomine ac virtute fecerunt". CALVINO haec expositione falsa videbatur. Recte animadvertis, PETRUM dicere ad spiritus CHRISTUM venisse, id est ad animas a corporibus separatas; vivos enim homines spiritus vocari nusquam receptum est. False alii verbis  $\tau\nu\omega$  significationem »quam in causam, qua de re"

\* ) Ubius hanc rem tractarunt Dr. v. GRIETHUIZEN in diss. de notionibus voc.  $\sigma\alpha\rho\xi$  et  $\sigma\alpha\mu\xi$  in N. F. interpr. dist, et vir. doct. DOEDES. Jaarb. voor Wetensch. Theol. t. VI. p. 331 sqq.

† ) Comment. sistens interpr. loci 1 Petr. III: 18—22.

tribuunt. DOEDERLINUS provocat ad I. 6, IV: 4 sed ibi haec verba aut aliter sunt explicanda aut ad aliud subiectum referenda. THEOPHYLACTUS reddit ac si legeretur  $\deltaιο$ . Indicat pronomen relativum arctissimum adesse vinculum inter proxime antecedentia et nostrum locum. Quicunque animo praejudicio non occupato legit, animadvertisit pronomen  $\omega$  clare respicere  $\piνειματι$ . Indicatur vitae principium (levenselement), quo ducebatur CHRISTUS nova vita fruens. Evangelium annunciat CHRISTUS profectus.<sup>\*</sup>) Participium  $\piορευθεις$  ita explicandum mihi videtur ac si legeretur: profectus est CHRISTUS et praedicavit  $\tauοις \epsilon\nu \varphiυλαιη \piνειμασι$ , spiritibus qui in carcere erant. Quinam hic intelligentur, patebit, si cognoverimus justam notionem verbi  $\varphiυλαιης$ . Invenitur hoc verbum Apoc. XX: 7 ubi satanas dicitur morari  $\epsilon\nu \varphiυλαιη$ , unde post mille annos liberetur. Si conferimus 2 Petr. II: 4 ubi angelos, qui peccaverunt, in infernum conjectos esse legimus, ut serventur  $\epsilonις \tauην \alphaριστην$  et Jud. vs. 6, qui idem continet, indicatus esse videtur a PETRO locus, ubi impii serventur ad diem judieii: sequens enim  $\alphaπειθησασι$  de impiis solis mentionem esse monet. Non igitur faciendum est cum viro doct. THODEN VAN VELZEN †) qui universe et regnum mortuorum intelligit multisque locis allatis probare conatur formulam  $\epsilon\nu \tauη \varphiυλαιη \epsilonιναι$  usurpari de morte,

<sup>\*</sup>) WINER, Grammat. pag. 691.

<sup>†)</sup> Het Evangelie aan de dooden verkondigd.

quippe quae in s. scriptura proponatur tanquam tyranus, qui ferreo sceptro regnum teneat. Neque CALVINO assentiendum est, apud quem φυλακή speculam significat, in qua aguntur vigiliae, vel ipsum excubandi actum. »Nam saepe», sic pergit, »ita capitur apud Graecos et sensus optime fluet, pias animas in spem salutis promissae fuisse intentas, quas eminus eam considerarent. — Ergo expectationis anxietas illis fuit cancer." Haec vero explicatio tam ad pios quam ad impios spectat; quare pugnat cum sequenti ἀπειθήσασιν. Sensit hanc difficultatem CALVINUS, quam ut tolleret dativum ab apostolo liberius esse positum pro genitivo absoluto contendit. Simplex oratio quam vehementer vexatur tali interpretatione!

Jam accuratius apostolus indicat quosnam spiritus intelligat; sunt ii, in quibus se manifestavit Dei longanimitas. Respiciunt verba ὅτε ἀπειδέχετο ή τοῦ θεοῦ μακροθυμία locum Gen. VI: 3, ubi Deus loquens inducitur: »spiritus meus non contendet in aeternum cum homine". Intransitive positum est verbum ἀπειδέχομαι sicut Rom. VIII: 25. Sequentia ἐν ἡμέραις Νῶε magis ad ἀπειθήσασι ποτε pertinent quam ad ὅτε ο. τ. λ. Memoravit PETRUS prae aliis ΝΟΛΗΙ aequales incredulos, tanquam typos malitia, quos, Dei longanimitate nondum permotos intercepit diluvium. Annectunt verba κατάσκευαζομένης πιθωτοῦ orationem facto illi historico cuius eventum narrat apostolus. Tam horribile fuit illud diluvium ut pauci, id est

octo animae tantum in arcam ingressi servati sint per aquam translati; εἰς ἡν διεσώθησαν est oratio praegnans, quam recte supplet BENGELIUS: in arcam ingressi. Quae verba supersunt δι' ὑδατος difficultatem aliquam pariunt. Quum injuria nonnulli διὰ explicuerint per εἰς, videtur mihi significare voluisse PETRUS paucos illos servatos esse in arca per aquam translati. Nullum iis impedimentum erat aqua, quod aliis, quin vitam servare possent. Multis modis sensus huius loci redditus est, sed aperte docet PETRUS CHRISTUM spiritu evangelium annunciasse impiis aequalibus NOACHI. Quanquam MEYERO assentimur dicenti nihil certi ex hoc loco posse effici pro dogmate τῆς ἀποκαταστάσεως, quoniam nescimus utrum fructum tulerit haec praedicatio an vana fuerit, et quoniam PETRUS Judaicae theologiae formis usus est in exponenda sua opinione, jure tamen concludimus post mortem esse locum reconciliationis peccatori cum Deo. Nam si iis, quorum peccata Dei misericordia ferre non potuerat, salus adhuc oblata est a CHRISTO, nonne tuto statuimus omnibus opportunitatem conversionis datum iri. Superest nobis spes, hoc loco edictis, fore ut omnes alii maturius alii serius ad veram Dei cognitionem perveniant, Christique discipuli evadant.

Eandem sententiam continet locus 1 Petr. IV: 6, qui arte cum antecedenti loco cohaerens jam nobis tractandus est. Sic se habet:

1 Petr. IV: 6 εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη, ἵνα κριθῶσιν μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσιν δὲ κατὰ θεόν πνεύματι. »Ad hoc enim etiam mortuis evangelium annuntiatum est, ut judicentur quidem quod ad homines carne, vivant vero quo ad Deum spiritu". Dixerat PETRUS in sectione antecedenti CHRISTUM promtum ac paratum esse ad judicium ferendum de vivis et de mortuis. Jam vero, ne forte mirum cui accidat CHRISTUM etiam de mortuis ferre judicium, causam reddit suorum verborum. Spectant verba εἰς τοῦτο ad sequens ἵνα, quod etiam fit Cap. III: 9. Particula καὶ addita est ad augendam vim (ook aan dooden). Sicuti priore loco Petrino disputatum est de verbis τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι, hīc varie interpretantur viri docti verbum νεκροῖς. Putat WETTIUS νεκροὺς significare omnes qui diluvio perierunt, quum noster locus respiceret 1 Petr. III: 19. Non obstat huic interpretationi quod contextus omnes intelligit ethnicos. Facile enim PETRUS de omnibus ethnicis verba faciens, in eos applicare potuit quod aequalibus NOACHI accidisse modo memoraverat. AUGUSTINUS, LUTHERUS, alii tropice νεκροὺς dici infideles existimant, oppugnantibus sectionibus 3 et 4. Prorsus aliam interpretationem secutus est GROTIUS, qui: »Intelligendi sunt νεκροὶ," inquit »non qui mortui erant, cum iis annunciatetur CHRISTUS, sed qui mortui erant cum PETRUS haec scribebat. CHRISTUS voluit annuntiari etiam iis, qui jam sunt mortui; ergo non vivos tantum, sed

et mortuos judicabit; alioqui frustra illis annunciatu<sup>s</sup> esset, frustra illi credidissent et dura pertulissent.” Habet sane haec explicatio primo obtutu<sup>s</sup>, quo se commendet. Non vero video, quomodo contextus illud ferat. CHRISTUS dictus erat iudex de vivis ac mortuis futurus id est de omnibus. Jam PETRUS sibi fingit adversarium rogantem: quid? feretne CHRISTUS iudicium etiam de mortuis, qui eum non noverint? Respondet apostolus et his annuntiatum esse Evangelium ita ut, quo ad hanc vitam terrestrem, quo ad homines illi quidem damnati sint sed vivant spiritu quo ad Deum. Quid vero sibi vellent verba ἵνα ξοιθῶσιν μὲν κατὰ ἀνθρώπους, si valeret GROTHI interpretatio? Intelligendi sunt νεκροὶ in antecedente capite laudati. Omissus articulus non impugnat imo confirmat nostram sententiam: apparet autem PETRUM mortuos quosdam significasse. Impersonaliter accipendum est εὐηγγελίσθη. Nonnulli subaudiendum esse putarunt ὁ Χριστός, respicientes ad εὐηγγελίσθη (III: 19). Ibi vero CHRISTUS erat subjectum orationis, quum nostro loco ejus nomen non diserte occurrat. Consilium, quo annuntiatum est, exponitur verbis ἵνα.. ζῶσιν. Verbum ξοίνειν oppositum vocabulo ζῆν vim habet compositi καταξοίνειν. Apte sensum reddit CALVINUS: »quamvis secundum rationem mundi interitum patiantur mortui in carne sua, et damnati quo ad externum hominem habeantur, vivere tamen apud Deum non desinunt, idque spiritu, quia CHRISTUS eos spiritu suo vivificat.”

Hoc loco explicato, multae inde oriuntur quaestiones. Quando evangelium mortuis annunciatum est a CHRISTO? quaenam κόστις intelligitur ab apostolo? Necessaria videtur PETRO fides evangelio habenda, ut veram vitam quis consequatur. Ideo ante judicium omnibus hoc evangelium annunciatur, nam de omnibus judicium fiet. Nil nobis cognitum est de fructu huius annunciationis. Hoc tamen nostro loco docere videtur PETRUS, mortuis occasionem non esse praeclusam se convertendi.

Sequitur locus, 2 Petr. III: 9: οὐ βραδύνει κύριος τῆς ἐπαγγελίας, ὡς τινες βραδυτῆται ἥγουνται, ἀλλὰ μακροθυμεῖ εἰς ὑμᾶς μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι ἀλλὰ πάντας εἰς μεταροίαν χωρῆσαι. \*) Incipit a sect. 7 descriptio incendii mundi eiusque instauracionis, qualis nec in V. F. neque in N. alibi legitur; quare nonnulli interpres ex stoica philosophia vel orientali mythologia effluxisse hanc cogitationem existimarunt. Probare vero conatur MELJERUS quibusdam locis V. F. Judaeos futuram mundi mutationem exspectasse. Quidquid vero huius rei est, quaeritur an verbis μὴ βουλόμενος τινας ἀπολέσθαι κ. τ. λ. dogma τῆς ἀποκαταστάσεως sit enuntiatum. Respondet auctor nostro loco quaestioni sect. 4<sup>a</sup> factae; non prorogat, ait, dominus promissum, sicut qui-

\*) Animadvertisendum est codices G. J., THEOPHYLACTUM et OECUMENIUM praemittere articulum à substantivo κύριος; sed delendus est nam in monumentis quae plurimum valent deest. Variant lectiones porro in verbis εἰς ὑμᾶς, quae, licet nonnulli codices et versiones habeant εἰς ὑμᾶς vel εἰς ἡμᾶς, externa ratio retinere jubet.

dam tarditatem existimant et propterea ipsam quoque rem promissam in dubium trahunt sed longanimitate utitur erga vos, nolens nonnullos perire sed omnes venire ad poenitentiam. Unusquisque videt multum pendere a *vi*, quae verbo *βούλεσθαι* sit tribuenda. Si enim inest notio voluntatis deliberato consilio constitutae, nemo non omnium restitutionem huc doceri affirmabit. Docet nos usus loquendi N. F. discrimen adesse inter *θέλειν* et *βούλεσθαι* quod apud classicos scriptores etiam obtinet. Conveniunt haec verba in eo, quod *velle* denotant; alterum vero (*θέλειν*) nullam in se habet notitionem voluntatis propensae ad aliquam rem sed simpliciter *velle* significat (quam meram *volitionem* dicunt Scholastici); alterum *βούλεσθαι* denotat ipsam animi propensionem, qua animum ad eam rem, quam volumus, adjicimus. Animadvertisunt porro veteres grammatici *βούλεσθαι* tantum de naturis ratione praeditis dici, quum *θέλειν* etiam ad bruta animalia ratione carentia extendatur. \*) Hoc tamen non ita est accipendum ac si nullo loco confundatur usus horum verborum, nam tanta *ἀκριβεία* vel apud classicos vix observatur, sed est discrimen, quod saepe occurrit. Perspicue hoc discrimen apparet Matth. I: 19 ubi JOSEPHUS dicitur μὴ θέλων αὐτὴν δειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρᾳ ἀπολῦσαι αὐτὴν. Noluit (est haec mera voluntas) MARIAM

\*) Plura habet de hoc discrimine TITTMAN, *de synonymis in N. F.* pag. 124 sqq.

ignominiae exponere, quare apud se ipse constituerat etc. Confirmantur supra dicta, scil. *βούλεσθαι* propensionem et studium voluntatis significare, Jac. I: 18. *βουληθείς ἀπεκύνησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας.* In voce θέλειν est notio voluntatis propriae neque deliberati et propensi animi; qui θέλων aliquid facit, sponte facit, qui *βουλόμενος* facit is decrevit animum ad eam rem adjicere.

Si haec applicamus in nostrum locum, dicitur Deus aliquid constituisse, quod ratum fiat: nam eventu nihil caret a Deo constitutum. Quid vero decrevit? Absolutam praedestinationem docere noluit auctor, nam sic Deum voti compotem non fieri dixisset, quia multi non veniunt ad poenitentiam. Recte igitur haec opinio est rejicienda. Videtur mihi hoc sibi velle auctor, Deum nolentem aliquos perire a sua parte aditum salutis patifacere, ita ut, qui convertat mentem, salvus fieri possit. Hoc Dei decretum non tollit libertatem moralē, potest homo gratiae oblatae resistere; sed tum non Dei culpa sed sua ipsius perit. Confirmatur haec explicatio, si attendimus ad sect. 7 ubi memoratur in die extremi judicii futura *ἀπωλεία τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων.* Sibi proposuit igitur scriptor non omnes Dei voluntati sese obsecuturos. Sed procul abest ideo Dei decretum irritum fieri, nam hocce decretum ea tantum conditione, ut se converterent homines, salutem offerebat. Non offendimus in hac epistola praedestinationem absolutam, quae tam strenue vindicatur a PAULO, sed con-

ditionatam (sit venia verbo!). Si recte se habet nostra interpretatio nihil ex hoc loco efficitur pro dogmate *τὴς ἀποκατάστασεως*; ubi enim libertas moralis tenetur, difficile est dicere, quorsum haec se tendat.

Affertur a nonnullis Apoc. XX: 14 unde petant *τὴν ἀποκατάστασιν*. Videamus rectene sese habeat eorum opinio. Legimus *καὶ ὁ Θάνατος καὶ ὁ ἄδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός, οὐτος ὁ Θάνατος ὁ δειτερος ἔστιν, ἡ λίμνη τοῦ πυρός.* „Et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda, stagnum ignis.” Unicuique apparet auctorem *προσωποποιήσ* uti. Mors et infernus proponuntur tanquam personae, quae potestate destitutae poenas dant inimicitiae suae in Deum. Sect. 10<sup>a</sup> hae poenae aeternae dicuntur, nam torquebuntur illi *εἰς τοὺς αἰώνας τῶν αἰώνων*. Secernuntur diabolus eiusque asseclae a piis CHRISTI cultoribus, quod confirmatur Cap. XXI: 8, XXII: 15. Male igitur nonnulli existimant plenitudinem salutis, quam pulere describit JOHANNES, omnes omnino complecti. Ubi pii degunt, ibi est salus plenissima, quae non turbatur praesentia malorum, nam hi versantur in loco plane alio.

Ut recte teneamus, quis sensus spiritualis lateat in hac expositione, paucis adumbremus eschatologiam libri apocalypses. Commode dividitur spes Judaeo-Messiana de rebus CHRISTI adventum comitantibus vel sequentibus in a) draconem ligatum; b) regnum millenarium; c) alteram resurrectionem, quam plenitudo salutis se-

quatur. JOHANNES, aequalium ideis adhaerens sibi proponebat infernum bipartitum. Paradisus pios continebat, qui CHRISTO fidem habentes ab eoque redempti mortui erant. In tartaro erant reliquae defunctorum animae. Eo dejiciebatur diabolus ab angelo, Dei legato, ubi per mille annos vinctus relinquatur. Originem chiliasmi fuse memorare non lubet; unusquisque novit hunc numerum millenarium desumtum esse ex Psalmo XC: 2 male intellecto. Jam erit prior resurrectio piorum christianorum, qui ab eo regnant cum CHRISTO (Apoc. XX: 4). Post mille annos vinculis liberabitur diabolus, qui omnes vires intendet ut homines seducat. Sed breve tempus hac libera potestate gaudebit. Mox extremum judicium eum manet. In ignem conjicitur omnesque eius socii. In hoc judicio aderunt omnes mortui, ut judicis audiant sententiam. Multa, quae JOHANNES depingit, sumta ex EZECHIËLE, DANIËLE aliisque, ex politica conditione populi Israelitici sunt explicanda. Quod nostrum locum attinet respexisse videtur auctor ISAIAE, Cap. XXV: 8 ubi mortis interitus memoratur. Facile JOHANNES ad hanc opinionem perveniebat, qui per CHRISTI victoriam de diabolo reportatam, regnaturam esse tantum vitam aeternam statuebat. Nemo jam a morte, in inferos demittitur; cessavit huius potestas, interiit in aeternum. Ex hisce efficere posses, quum nullus adhuc morti subjectus dicatur, omnes verae salutis compotes factos esse. Evidem diu dubitavi, utrum

revera hīc τὴν ἀποκατάστασιν docuerit JOHANNES necne. Praevaluit vero negatio. Si supra dicta consulimus loca XXII: 8, XXII: 15 conferentes statuamus necesse est, scriptorem piis tantum concessisse salutem, quum impii interitu puniantur. Accedit, quod ipsa oratio doceat poena affici mortem et infernum; quae poenae notio plane perit, si τὴν ἀποκατάστασιν accipimus. Alterum cum altero pugnat nam consilium poenae esse emendationem refellitur sect. 10<sup>a</sup> ubi tormenta in saecula seculorum perdurare dicuntur. \*)

Matth. V: 26 haec metaphora legitur: »concordiam habe cum adversario tuo, ne quando te ille judici tradat, judex lictori, lictor carceri; unde non exibis, donec persolveris ultimum quadrantem». Alii poenis aliquando finem fore hinc concludunt, quum alii oppositae sententiae sint. Antequam ad hanc quaestionem dirimendam progredimur, videamus utrum haec metaphora allegorice sit interpretanda nec ne. Affirmat illud GROTIUS dicens: »ex eo quod inter homines fieri videmus nobis conjecturam capiendam quid a Deo sit exspectandum." Provocat ad Luc. XII: 58 ubi ex eius sententia, aperte hoc indicatur. Sed alias ibi contextus est. Admonuerat CHRISTUS circumstantem hominum catervam, ut, cum satis accurate attenderent ad τὸ πρόσωπον τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ,

\*) Recte WETTIUS adnotavit ad h. I.: »da der Tod die Folge der Sünde, die Sünde aber strafbar ist, so wird die Macht des Todes als schuldig und ihre Vernichtung als Strafe gedacht."

dignoscerent quoque signa temporum. Tunc addens, eos ex se ipso quid justum sit scire debere, metaphoram nostram memorat, commendans prudentiam et circumspectionem, ne in manus incident judicis, qui tamdiu in carcere vinctos tenet, dum postremum persolverint quadrantem. Non negandum est Deum judicem illo loco intelligi; hoc tamen an etiam valeat de nostro loco quaeritur.<sup>\*)</sup> Tuetur MEYERUS suam sententiam contextu (vs. 21—24), quum locum paralelum (Luc. XII: 58) non plane negligat, etsi ob contextum, quo ille occurrit, minoris momenti eum habeat quam GROTIUS. Equidem post longam dubitationem recte vidisse viros laudatos existimaverim. Sapientia JESU CHRISTI eos, qui vehementi studio ducebantur legi Mosaicæ verbotenus obtemperando, certos reddit se magni facere illam legem, at severiora etiam praescribit quam quae lex iubet; suam auctoritatem ponens juxta legem. Jam vero huic orationi innectit CHRISTUS nostram metaphoram, quae prudentiam commendat qua Dei judicis animum cum debitore concilietur. Hisce expositis, restat quaestio, utrum ex hoc loco argumentum peti possit ad *ἀποκατάστασιν* vindicandam vel impugnandam. Omnis vis posita est in verbis *ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἔξελθῃς ἐκεῖθεν*

---

<sup>\*)</sup> MEIJERUS dicit: „Die Vorschrift, sich mit dem — Beleidigten aus zu söhnen, um nicht von Gott, dem Richter in die Hölle verwiesen zu werden — parabolisch dargestellt durch die Klugheitslehre, den Glaubiger zu befriedigen, um nicht dem Gefängnisse zu verfallen.“

ἔως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον ποδοάντην. Causa proponitur, quare, metu instantis poenae, pax restituenda sit cum adversario. Hae poenae erunt gravissimae, nullus erit finis, nisi captivus postremum quadrantem persolverit. Duplex se nobis proponit interpretatio: altera alteri opposita. MEIJERUS ad h. l. contendit fieri non posse ut qui ἐν τῇ φυλακῇ versetur, peccati culpam solvat: ac per ἔως indicari terminum numquam attingendum, atque hinc concludit, hac metaphora doceri poenas divinas infinitas esse tempore. E nostra vero sententia haec verba minime negant quamvis gravissimae sint illae poenae, opportunitatem tamen dari culpam solvendi. Porro adjективum ἔσχατος, assumere jubet nonnullos saltem quadrantes persolvi posse. Si quid video, indicare voluit CHRISTUS summam gravitatem supplicii. Non contentus erit ille judex bona voluntate et magno labore: sed omnis culpa ut absolvatur exiget. Si quis objicit hominem peccatorem numquam justificari posse coram Deo judice atque ergo quum terminum designatum nunquam attingat, aeternis poenis subiectum esse, animadvertisendum est CHRISTUM verba facere cum iis, qui omne punetum legis vindicare studentes, salutem quaerebant in futili observatione. Hisce indicit CHRISTUS gravissima supplicia, si minima legis praecepta neglexerint. Nobis vero, qui edocti sumus neminem per legis opera justificari, sed per solam fidem IESU CHRISTO habitam, meliora sperare licet.

Ex supra allatis appareat injuria ad hunc locum provocari unde aeternitas poenarum probetur nam a JESU in medio relinquitur utrum unquam captivus e carcere liberetur nec ne.

Matth. XIII: 33. Ὁμοία ἔστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζεῦμη, ἡν λαβοῦσα γυνὴ ἐνεργίφεν εἰς ἀλειφον σάτα τρία, ἵως οὗ ἐξημώθη ὁλον. Tradit CHRISTUS parabolam notissimam de fermento quocum regnum coeleste comparans dicit mulierem desumtum (fermentum) abscondidisse in tres modulos farinae, dum tota panis fermentetur. Ternus numerus ideo memoratur, quod tantum simul misceri solebat (Gen. XVIII: 6, Jud. VI: 19). \*) Differt haec parabola ab antecedenti, quod haec magis vim interiorem illa exteriorem regni coelestis prodat. Quanquam in illa vi tertium comparationis positum esse concedo, non negligenda tamen est admonitio de eventu, quem habitarem est regnum divinum. Diserte enim tanta efficacitas tribuitur regno divino, ut in omnes partes penetret, quas fermentetur. Aperte docet CHRISTUS regnum coeleste victoriam esse reportaturum absolutam de infesto principio quod existere desinat. Negat quis hoc loco contineri τὴν ἀποκατάστασιν πάντων, quod eos tantum significaverit CHRISTUS, ad quos pervenerit vel perveniat Evangelii annuntiatio, non

\*) Variant codices in verbo ἐνέργειαν, nam GL legunt ἐκρύψειν. In loco parallelo Luc. XIII: 21 eadem exstat diversitas lectionum ita ut certo statuamus alterutrum scripsisse ἐκρύψειν. Plerique testes favent lectioni GRIESBACHII et TISCHENDORFII, a qua discedendum non videtur.

eos esse subintelligendos concludens qui ante CHRISTI apparationem vixerunt, respondemus, ex nonnullis locis N. F. posse effici haud sine veri specie etiam iis qui ex hac terra discesserunt, Evangelio annuntiato, salutem offerri cuius compotes fiant. Quare concludimus CHRISTUM hac parabola justam exspectationem in animis nostris excitare voluisse ut omnes aliquando genuflectentes Deo, cives futuri sint regni coelestis, cuius vis omnia superaverit.

Joh. X: 16. *καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω ἀ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταῦτας κ' ακεῖνα δέι με ἀγαγεῖν καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσοντιν<sup>\*)</sup> καὶ γενήσεται μία ποίην, εἰς ποιῆν.*  
 »Alias quoque oves habeo quae non sunt hujus ovilis, etiam illas ducere mihi impositum est, et vocem meam audient, et fiet unus grex unus pastor.“ Injuria hisce verbis *ἡ ἀποκατάστασις* inesse creditur. Quum in antecedentibus monuisset CHRISTUS se utpote bonum pastorem vitam dare pro ovibus opportunitatem arripit nostra sectione, ut non solum Judaeos sed alios etiam pertinere ad suum ovile doceat. Sine dubio *ἄλλα πρόβατα*, quae memorantur, sunt ethnici (cf. Matth. XXI: 43, Marc. XIII: 10), quibus annuntiaretur Euangelium. Quum totius mundi incolae dividerentur

<sup>\*)</sup> Procedit, ni fallor directa oratio et retinendum est futurum *ἀκούσοντιν*. Exortus esse mihi videtur aor. conj. *ἀκούστων*, quem nonnulli codices exhibent, ex interpretamento, quod indirecta oratio aptior videbatur.

in Judaeos et Ethnicos, hoc CHRISTI dictum ad omnes sese extendere debere Evangelium, aperte indicat infringens superbiam populi Israelitici, quae ethnicis salutem praescindebat. Hosce etiam adducturus est CHRISTUS nempe per ministros, talem eventum annunciationis vaticinans, ut vocem eius audiant. Universe haec dicta sunt, non de singulis. Multi, ex gentibus Evangelio obsequentes socii fient ecclesiae Christianae, quae quum unum tantum habeat caput, omni discrimine sublato, unus grex sit futura.

Posita est vis orationis in unitate, quae jungat omnes CHRISTI discipulos, non obstante discrimine originis vel nationis, quaeque aliquando inter Ethnicos, quamvis adhuc separati essent a Judaeis, et Israelitas futura erat. Si quis tamen urgens CHRISTI verba, dicentis alias illas oves esse audituros eius vocem concludit vaticinium inesse, ex quo omnes aliquando fidem sint habituri CHRISTO, reputet, non omnes Israelitas, si saltem universe accipiendo est τὰ πρόβατα, CHRISTUM secutos esse Evangelium annunciantem.

Joh. XII: 32. καὶ γὼ ἐάν νύμφωθῶ ἐν τῇς γῆς πάντας ἔλευσο πρὸς ἐμαυτὸν. »Ego autem, si sublatus fuero e terra, omnes traham ad me ipsum". Difficilis quaestio est an πάντας absolute accipiendo sit necne. Alii illud referunt ad vs. 29 ubi de multitudine mentio est, alii ad Ethnicos et Judaeos, quot capaces erant, alii ad omnes omnino homines extendunt. Postrema explicatio

nobis placet, quia et praecedens *κόσμον* universi notio-  
nem habet et, si *παρτας*; spectaret multitudinem adstantem,  
certe pronomen *ὑμᾶς*; additum esse deberet. Ex nostra  
igitur sententia docet CHRISTUS ejecto mundi principe  
deletoque dominio, omnes, peccato liberatos arco  
vinculo animi sibi juctos fore. Verbum *ἐλυτεῖν*, eodem  
sensu occurrens quo Joh. VI: 44 denotat excitationem  
animi ad salutem, quae vi spirituali effecta Deum habet  
auctorem quippe cui omnia dona spiritualia sint tri-  
buenda. Nostro loco CHRISTI exaltatio *ἐλυτεῖν* dicitur.  
Si ad ipsam JOHANNIS interpretationem attendimus,  
JESUS ad mortem crucis respexit, quae mors contemta  
Judaeis prius quidem odium excitaret sed postea medium  
foret, quo ab hominibus exaltaretur CHRISTUS. Non  
obstat verbum *ὑψοῦν*, quin hunc sensum accipiamus,  
nam THOLUCKIUS \*) probavit, *ὑψοῦν* Aramaice reddi  
per *אָלֵת*, quod utramque significationem exaltandi nempe  
et pendendi admittit. Quod si ita se habet CHRISTUS  
vaticinatur: eandem mortem, qua ut ignominia exponeretur  
afficeretur a Judaeis, victoriam sibi esse allaturam,  
nam omnes vi veritatis coacti ipsum crucifixum aliquando  
agnoscerent tanquam Messiam. Regnum, quod condidit  
CHRISTUS, imperfectum reliquit; mortuus tamen, si  
nondum absoluta esset eius Victoria, peccati dominium  
cessaret paulatim efficacitate salutifera Evangelii victum

\*) Vid. ad h. I.

atque aliquando existere desineret, nam omnes ad CHRISTUM exaltatum traherentur per fidem \*).

Ut vidimus magnum momentum tribuitur hīc CHRISTO crucifixo, quod idem facit PAULUS 1 Cor. I: 21, 1 Cor. II: 3 alibi. Ex nostra explicatione sequitur, hunc locum continere revera felicem eventum, quem habiturum est regnum divinum.

Quae leguntur (sect 31) *νῦν ὁ ἀρχων τοῦ κόσμου τούτον ἐκβληθήσεται ἔξω* nunc princeps mundi hujus ejicietur foras, collato Luc. X: 18 haud parvi sunt momenti; quare fusius illa exponamus. Loco citato CHRISTUS gravissima haec verba enuntiat: *ἴθισάρουν τὸν σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐν τὸν οὐρανοῦ πέσοντα.* Ablegaverat JESUS septuaginta apostolos, qui, quum Domini mandata exsecuti erant redeunt gaudentes: daemones nimirum iis obtemperaverant nomine CHRISTI. Hisce refert CHRISTUS se vidiisse diabolum fulgoris instar e coelis cadentem, quae verba significare videntur, CHRISTUM non mirari hanc daemonum obtemperationem: Jam antequam eos ablegaverat, mentis suae oculis viderat regni colestis triumphum. Male haec CHRISTI verba referuntur ad factum aliquod, quasi revera deci-disset diabolus e coelis, vel ad illud tempus spectare creduntur, quo discipuli ablegati regnum coeleste annuntiabant. Docet enim participium *πεσόντα*, unum

---

\*) Cf. de hoc loco vir. cl. SCHOLTEN, *de Leer der Herv. Kerk*, ed. 2, II p. 34, 433 sq.

temporis punctum significari non vero temporis aliquam periodum. Viderat (*ἐθεώρουν*) CHRISTUS, phantasiae indulgens, diabolum, qui regno tenebrarum praefectus dici solebat, ex imperio quamvis elato ejectum: celeres enim progressus — fulgur hic celeritatem indicat — quos jam initio fecerat Evangelium, vaticinabantur absolutam victoriam, quam de malo reportaturum esset regnum coeleste.

Confirmatur hanc explicatio, attendenti ad. s. 21, ubi JESUM gaudio exsultatum legimus, et ad subsequentium precum argumentum. Idem, quod LUCAE locum significare putavimus, continent verba JOHANNIS *viv  
δὲ κ. τ. λ.* cui explicationi contextus non adversatur. Non temere ergo concludimus CHRISTUM hisce locis haud obscuram dedisse vaticinationem de peccati interitu.

---

LOCI, UNDE POENARUM AETERNITAS PROBARI SOLET.

2 Thess. I: 9. *οἵτινες δίκην τίσουσιν ὀλεθρον αἰώνιον ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου*, »qui poenas dabunt perniciem aeternam ab ore Domini.“ \*) Continet haec sectio annuntiationem poenarum iis, qui sunt μὴ εἰδότες θεόν καὶ μὴ ὑπακούοντες τῷ εὐαγγελίῳ. Aeterna pernicies eos manet; qualis haec futura sit declaratur per ἀπὸ προσώπου. Multis locis S. S. summa beatitudo praedicatur Dei faciem aspicere. †) Haec poena erit, ut remoti maneant a facie Dei gloriaque eius potestatis. Vocabula αἰώνιος indicatur quam dura futura sit poena (recte GROTIUS: »qua gravior nulla“) sed inest etiam temporis notio. Negat BAUMGARTEN hīc de aeternis poenis mentionem fieri, quoniam de rebus terrestribus loquitur PAULUS. Contextus vero hanc sententiam op-

\*) Male LACHMANNUS recepit ὀλεθρον, nonnullorum codicum auctoritate usus, facile enim haec mutatio ob sequens αἰώνος irrepsit. Item articulus τοῦ cum multis substantivo κυρίος est praeponendum.

†) Ps. XI: 7. XVII: 15. Matth. V: 8. XVIII: 10. Hebr. XII: 14.

pugnat. Laudata fide Thessalonicensium, quae constans sustinuerat oppressiones et persecutioes, invehitur apostolus in illos Christianorum inimicos qui rationem daturi sunt actorum suorum coram Deo. Grave supplicium iis indicit, qui Deum non agnoverint et Evangelio non praebuerint aurem. Aeterna miseria eos manet ab ore CHRISTI, quando judicium habiturus est. \*)

\*) Dividebant Judaei universum tempus in duas magnas periodos, alteram Messiae adventum antecedentem (*αλλού οὗτος* vel *ό νῦν αλλού προ τῷ ημέρᾳ*) alteram sequentem (*ό αλλού μελλον* vel *έρχόμενος* vel *ἔσεινος προ τῷ ημέρᾳ*). Altera alteri opposita est. Si aevum futurum dies κατ' ἔξοχην nominatur, huicce saeculo tribuntur tenebrae nocturnae. Luc. XVI: 1 inter se conferunt liberi huius aevi et liberi lucis. Qua sapientia caret *ό αλλού οὗτος*, eminet illud. In epist. ad Galatas cap. I: 5 ideo sese tradidisse pro nobis dicitur CHRISTUS ut nos liberaret hoc aevo depravato. Vera vita degitur in futuro, quum tantum mors in hocce regnet. Ut dicta contraham, profetarum doctrina huc redit ut *ό αλλού μελλον* quocunque malum et imperfectum est huius aevi, sit sublatum, atque regnum divinum ab omni parte sit conditum.

Propter hanc prioris saeculi pravitatem satanas, quippe impietatis et idolatriae dux dicitur *ό οἶδες τοῦ αἰώνος*. Postremam huius aevi (*αἰώνος τούτου*) partem nominarunt *πατέρινη περίοδον*, ή *πατέρων χαιρούς*, *χαῖρος ἐσχάτου*, *ἐσχάτη τῶν χρόνων ἐσχάτας ἡμέρας* ejusque exitum τὰ τέλη τῶν αἰώνων vel *συντελεῖα τῶν αἰώνων*. Formulam *προ τῷ ημέρᾳ αἰώνι μελλον*, cuius priorem partem, periodum Messianam excipit posterior, *infiniūtū aeternitatis spatium*, modo sensu latiore, de omni post adventum Messiae futuro tempore (*πάντα τι γένεται τοῦ αἰώνος sc. μελλοντος*, ai ή μέρα τοῦ αἰώνος μελλοντος), modo sensu strictiore dumtaxat de saeculo illo peractam periodum Messianam sequenti accipere soliti sunt. Quae quidem periodus mille annos duratura complectitur secundam mortuorum resurrectionem et judicium extremum. De quo judicio legimus 4 Esdr. VII: 43, "dies judicii erit finis temporis (*χαιρούς, αἰώνος*) huius et initium temporis futurae immortalitatis" et cap. VIII: 1, "hoc saeculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos."

Haec erat Judaeorum solita terminologia, qua CHRISTUS, si revera ab auditoribus percipi vellet, uti deberet; sapientis enim magistri est pracepta sua accommodare ad captum discipulorum. Nostrum est inda-

Matth. XII: 31. Λιὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν πᾶσα ἀμαρτία  
καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ τοῦ  
πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις  
καὶ ὃς ἔχει εἰπῆ λόγον κατὰ τοῦ νιοῦ τοῦ ἀνθρώπου  
ἀφεθήσεται αὐτῷ ὃς δὲν εἰπῆ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ  
ἄγιον, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰώνι  
οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. \*) » Ideo dico vobis: unum quod-

gare quaenam dicendi formulae vigerent apud Iudeos, ut recte dis-  
cernamus, quid CHRISTI aetati sit tribendum, quid ipsius Domini  
institutioni.

A substantivo *αἰών* derivatum est adjectivum *αἰώνιος*, quod modo latiore sensu modo strictiore usurpatur. Ex contextu est efficiendum utrum prior illa periodus τοῦ *αἰώνος μέλλοντος*; cui mille annis exactis finis erit significetur, an vero posterior, quae totam complectitur aeternitatem. Plerumque obtinere mihi videtur *αἰώνιος* sensu latiore, ita ut tantam temporis extensionem indiceat, eniū finem nobis proponere ne queamus. Sic nostra etiam lingua adjectivum *eternum* derivatum a substantivo, quod certam temporis periodum indicat, tam lato sensu solet usurpari, ut omnis finiti temporis notio recedat infinito. Quanquam igitur eorum sententiam non plane rejicimus, qui notionem adjectivi *αἰώνιος* ad temporis punctum restringendam esse dicant, minime semper urgenda est haec explicatio. Quac supra diximus, non semper latiore sensu *αἰώνιος* esse accipiendum nonnullis locis adjectis probare lubet. Rom. XVI: 25 dicitur mysterium χρόνοις αἰώνιοις σταυρημένον. Sed praecedens κατ' ἀποκάλυψην impedit quominus *αἰώνιος* de aeternitate accipiamus: 2 Thess. II: 17, παράλληλις αἰώνια est solatium quod et hanc et futuram vitam complectitur. Ex opposito ἐλπίδα ἀγαθὴν appetet conditionem potius et solatii et spei significari quam temporis extensionem. Ad futurum saeculum respicit *αἰώνιος* Luc. XVI: 9 ubi contextus nullam aliam admittit significationem omnisque notio aeternitatis longissime abest.

\*) LACIMANNUS post ἀφεθήσεται (sect. 31<sup>a</sup>) addidit quod in codice B tantum legitur, ὑμῖν, omisit vero recte in editione majori. Repetitio verborum τοῖς ἀνθρώποις offendisse videtur librarios, quoniam in multis codicibus resecta sunt. Eam recte tuerit GRIESBACHIUS, nam gravis oratio ut repetantur postulat. Minoris momenti est lectio οἵ τις εἰπῆ πρό οἵ ἔχει εἰπῆ. In fine sect. 32 optime GRIESBACHIUS ἐν τούτῳ τῷ αἰώνιῳ prætulit alteri lectioni ἐν τῷ νῦν γλῶνῃ; nam haec illius videtur esse interpretatio.

que peccatum et convicium remittetur hominibus, convicium vero spiritus sancti non remittetur hominibus. Et si quis verba fecerit contra Filium hominis remittetur ei. Si quis vero contra spiritum sanctum conviciatus fuerit non remittetur ei nec in hoc neque in futuro aevo.” Verba, a quibus incipit hic locus, διὰ τοῦτο causam reddunt, quare CHRISTUS hanc gravem admonitionem orationi adjecerit. Sanaverat JESUS coecum coram magna hominum multitudine. Hoc miraculum tantopere animos commoverat, ut exclamaretur μῆτρι οὐτός ἐστιν ὁ υἱός; Ααυτὸς; Pharisei vero, metuentes ne vim suam perderent in populum, CHRISTUM contemtui tradere conabantur dicentes eum vi diabolica hocce miraculum perpetrasse. Hos spectat CHRISTI oratio ad quam referenda sunt verba διὰ τοῦτο. Recte GROTIUS explicat: »cum tam manifestis rationibus constet, quae facio non daemonum sed Dei virtute fieri, videte, quam gravem in vos poenam accersatis, cum dicitis, ista vi daemonum fieri.” Graviter dicit CHRISTUS: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: sed spiritus blasphemia non remittetur hominibus.” Sequitur explicatio huius blasphemiae in altero membro paralelo: et si quis aliquid profert contra filium hominis, remittetur ei si vero aliquid protulerit contra spiritum sanctum non remittetur ei, nec in hoc aevo nec in futuro.” Vocabulum βλασφημία indicat, quale peccatum praesertim intelligatur; convicium, dicta contumeliosa in spiritum

sanctum significans. Multas difficultates praebet hic locus, quum variis modis peccatum in spiritum sanctum explicuerint interpretes. De quo nobis constet necesse est, si certum habere volumus, quare CHRISTUS nec in hoc aevo neque in futuro remissum iri dixerit. MEYERO aliisque assentientes, blasphemiam spiritus peccatum esse dicimus, quod in Pharisaorum sententia (sect. 24<sup>a</sup>) apparuerat. Hi enim evidentem virtutem spiritus sancti daemonibus tribuentes, animo vim inferabant. \*) Hoc peccatum remitti non posse, ex ipsa rei natura sequitur. Qui Pharisaorum instar in spiritum sanctum conviciatur huius animus non capax est salutaris vis spiritus sancti, quae τὴν μετανοίαν efficiat; sine qua animi conversione nemo gratiae divinae particeps fit.

Pluribus verbis confirmat sectio 32<sup>a</sup> convicium in spiritum sanctum non remitti οὐτε ἐν τούτῳ τῷ αἰώνι οὐτε ἐν τῷ μέλλοντι. Ut memoravimus Judaei omne mundi tempus dividebant in τὸν νῦν αἰώνα et τὸν αἰώνα μέλλοντα. Complectitur igitur noster locus omne tempus.

---

\*) Male nonnulli hoc peccatum ab iis tantum committi potuisse contendunt, qui, CHRISTI opera videntes, divinam virtutem negabunt. Etiam post CHRISTI abitum, adest peccatum in spiritum sanctum. Qui enim spiritum sanctum eiusque vim nota habens divinam originem audacter abnegat, huic peccato obnoxius est. Ne dicat quis, non certo hoc posse effici quid sit spir. s. effatum quid ex alio forte effluxerit: atque ergo ob hanc incertitudinem peccari non posse in spiritum s. Revera is demum peccare dici potest, qui sibi conscient est, se perpetrasse quod vetitum erat. Statuendum est igitur eum, qui quod omnes agnoverunt esse efficacitatem spiritus divini, oppugnat, reum esse peccati, quod nostro loco condemnat CHRISTUS.

Observat GROTIUS hic notandum esse Hebraismum et cum CHRISTUS non dicere velit omnia peccata condonatum iri concludit sensum esse »facilius est quidquid criminum unquam patrari poterit atque adeo calumnias etiam omnes, quae in criminibus primum facile locum obtinent, remitti quam ut remittatur ea calumnia, quae adversus spiritum Dei committitur.” Sunt alii interpretes qui κατὰ λιτότητα verba explicent cum CHRYSOSTOMO urgentes potius gravitatem poenae quam temporis extensionem. Non prorsus haec sunt rejicienda: solebant enim orientales rerum conditionem ita depingere, ut nonnumquam in extrema ruant, atque ut nobis, fervoris orientalis memoribus expositionem rerum lenire liceat. Sic exempli gratia Matth. XIX: 24 dicit CHRISTUS diviti esse difficile regni divini participem esse. Adverbium δυσκόλως illustratur proverbio notissimo quod omnem spem fere adimit fore ut dives salutis compos fiat. Ipsiis discipulis, gravitate huius effati commotis respondet CHRISTUS: παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν εστιν, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά. Non semper igitur talia verba acerba premenda sunt sed nonnumquam significatio est mitiganda. Existimabant porro Judaei peccata commissa ab iis, qui a Judaismo non desciverant, facile remitti in saeculo futuro per poenitentiam: videtur igitur CHRISTUS, ut hanc perversam opinionem oppugnaret summamque gravitatem urgeret peccati in spiritum sanctum, addidisse οὐτε εἰν τῷ μέλλοντι.

Quanquam hisce vim suam denegare nolumus, ipsa CHRISTI verba reique natura graviora sunt quam ut has animadversiones in nostrum locum applicemus. Si conferimus locum paralelum \*), Marc. III: 29 causam, cur hoc peccatum in spiritum sanctum condonari nequeat, indicatam legimus in ipso facto, non vero in Deo positam. Quare haec doceri videntur: eum, qui contumeliosa verba dicat in spiritum sanctum, tam grave committere peccatum, ut unquam ab eodem spiritu sancto illuminatum se convertere posse cogitari nequeat. Restat tamen nobis spes, fore nt, quod hominis vires superet, efficiat Deus, cui παντά δυνατά. Porro hominem in resistendo spiritui sancto semper pergere minime credibile est: Hoc igitur docet CHRISTUS: omnibus aliis peccatis, peccatum in spiritum sanctum gravius est, quod facultatem adimens, qua sola quis ad τὴν μετανοίαν ducatur, remissioni nullum offert locum. Sponte vero appetet ubi remitti non posse dicitur, significari, quamdiu quis in isto peccato persistat, nullam admitti posse remissionem.

Hoc peccatum in spiritum sanctum pertinere mihi videtur ad illud genus peccatorum quod JOHANNES (I: V: 16) dicit ἀμαρτίαν πρὸς θάνατον. Discernens inter peccatum ad mortem et peccatum non ad mortem praescribit ut alter pro altero peccante non ad mortem

---

\*) Hoc loco adjectivum *πλεύσις* oppositum est substantivo *ἀμάρτημα* unde appareat talem esse indolem huius peccati ut in aeternum perducent sequelae.

preces fundat, quum de peccato ad mortem addat: *οὐ περὶ ἔκεινης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ.* Constat apud JOHANNEM eum dici participem τῆς ζωῆς (*αἰωνίου*) qui vera fide et intimo animi amore cum Deo Christoque junctus vivat. Θάνατος igitur est ea conditio, qua versatur ὁ κόσμος, qui Deo fidem denegat. Quum contextus suadeat, ut christianos lectores sibi proposuisse apostolum statuamus, ἀμαρτία πρὸς θάνατον tale delictum esse debet, quo e statu fidei et amoris desciverint homines christiani. Mors spiritualis hic intelligitur, de cuius vero aeternitate nihil effici potest ex hoc loco: quare a fusiore expositione desistimus.

Sequitur locus Matth. XIII: 11—16, *ὅτι ὑπὲρ δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἔκεινοις δὲ οὐ δέδοται.* z. τ. λ. Hic decretum reprobationis doceri multis visum est. Inter alios CALVINUS instit. III. 24: 13) ISAIAE locum respiciens: »Neque hoc, dicit, quoquo controverti potest, quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam suam aenigmatibus involutam tradere, ne quid inde proficiant, nisi ut in majorem hebetudinem tradantur.“ Videamus rectene se habeat horum sententia. Invenimus eundem ISAIAE locum a variis Evangelistis citatum, quorum MATTHAEUS secutus est versionem LXX quum reliqui sensum potius quam verba reddant. \*) Continet noster

\*) Quod ad ipsum textum injuria FRITSCHIUS omittens τῶν οὐρανῶν post τῆς βασιλείας discessit a GRIESBACHII lectione, quae externa

locus responsum CHRISTI discipulorum quaestioni quare in institutione parabolis utatur » vobis, ait, datum, concessum est a Deo scire mysteria regni coelestis; illis vero i. e. plebi hoc non contingit. τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας sunt res secretae regni coelestis, quae eorum captum superant, qui CHRISTI praecepta non accipiunt animo docili ac humili. Jam CHRISTUS suorum verborum causam reddens proverbio utitur, cuius sensus hic reddit: quicunque rerum spiritualium cognitionem sibi contraxit, magis magisque accrescit in intelligendis rebus regni coelestis: populus vero, omni facultate intelligendi destituetur, nisi parabolarum adjumento eum instituo: nam videns non videt, audiens non audit neque intelligit. In eos applicat CHRISTUS ISAIAE verba (VI: 9), quae et in profetae aequalibus et in Israelitis CHRISTI tempore viventibus comprobata sunt. Loco laudato Deus loquens inducitur, quum injungat profetae hoc mandatum: **הַשְׁמֹלֵב הַעֲמָד**: unde appareret Israelitas sibi cogitasse Deum ita peccatum ulciscentem, ut qui a Deo se averterit, magis magisque in delinquendo persistat adeoque postremo ad Deum se convertere haud facile queat.<sup>\*)</sup>

---

auctoritate valde commendatur. Aequo jure rejicienda est lectio, quam habent cod. D aliique ὡνα βλέποντες μη βλέπωσιν etc. Perperam receperunt GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS sect. 14<sup>a</sup> ἐπ' αὐτοῖς, quum praepositio ἐπὶ interpretandi causa addi potuerit. In fine sect. 16<sup>a</sup> indicat: fut *ἰδομαι* retinendum est, non pendens a μήποτε. Permovit mutata constructio WETTIUM et alios ut contra plurimorum testium auctoritatem legerent *ἰδομαι* sed discedendum non est hac in re a lectione LXX.

\*) Vid. LUTZ., *biblische Dogmatik*, pag. 142.

Quae igitur ex natura ipsius peccati consequuntur, Deum auctorem habere existimantur, et rei exitus eiusdem consilio esse constitutus cogitatur. Hoc indicat tota oratio quae invenitur ISAIAE libro et praesertim sect. 10<sup>a</sup> particula ιδι, quae Graece redditum est per μη ποτε quaeque nonnisi consilium indicat. Injuria igitur nonnulli interpres significationem perverterunt, explicantes *ita ut (zoodat)*, quod minime cadit in sensu verborum ISAIAE. Quem optime GROTIUS comminationis causam reddere dicit, quasi dicas: »hoc egerunt ne quid intelligerent.«

Differunt aliquatenus verba MARCI et LUCAE <sup>o</sup>) a nostro loco. Hi apostolos rogantes faciunt, quis sensus lateat in parabolis, quibus CHRISTUS usus erat; quem MATTHAEUS ita instituat quaestionem, ut causam reddere deberet JESUS, quare parabolis utatur ad plebem instituendam. Apparet hoc discrimen in variis particulis *ινα* et *οτι*; conjungendae sunt variae eiusdem rei expositiones, quarum altera alteram supplet. Sic rem nobis proponimus. Docebat JESUS plebem usu parabolicorum, quae captui populi erant accommodatae, nam abstrusa rei expositio nullam vim exseruisset in animos induratos. Injuria hanc explicationem ideo rejicit WETTIUS, quod ipsi discipuli, qui tamen beati praedicantur (sect. 16<sup>a</sup>) ὑμῶν δέ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ οτι βλέπουσι, sensum parabolicorum non intelligerent, ut docent MARCUS

<sup>o</sup>) Marc. IV: 10—20. Luc. VIII: 9—15.

et LUCAS. Ex hac enim imperitia in explicandis parabolis concludere non licet eos res spirituales intelligere non posse. Ipse CHRISTUS eorum quaestioni respondet his verbis *ὑμῖν δέδοται κ. τ. λ.* quibus plane refutatur WETTII sententia. Discipuli melius percipiebant res spirituales regni coelestis, quas a magistro, parabolis explicitis audiebant, quam populus qui, etiam si interpretationem addidisset JESUS, mente capere spiritualia non potuisset.

Si attendimus ad ea quae scripsimus de loco ISAIAE, eaque applicamus in narrationem MARCI quae CHRISTO animi indurationem tribuit, sicuti locus ISAIAE Deo, male hunc locum allatum esse unde probetur decretum reprobationis constat. Primo enim qui in peccando persistit, auctor est ipse illius poenae quae ex peccati natura consequitur, deinde nihil additum est de temporis extensione; ita ut in aeternum istum peccato subjectum iri hinc efficere nequeamus. Etsi enim postremo difficultima sit futura conversio ad Deum, temporis punctum tamen adesse poterit, quo a peccato desistens salutem quaerat impius in fide CHRISTO habenda.

Matth. XVIII: 8. *ζαλόν σοι ἐστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλόν ἢ δύο χεῖρας ἢ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.* »Praestat tibi vitam ingredi claudum vel truncatum quam ambas manus vel ambos pedes habentem in ignem aeternum conjici.“ Opponitur *τῇ ζωῇ, τῷ πῦρ τῷ αἰώνιον*, quae formula sectione sequente mutata est in *τῇ γέεννᾳ τοῦ πυρὸς*: c. V: 29

ubi legitur tantum γεέννα et deest notio ignis. Marc. IX: 47 verba η̄ ζωή̄ illustrantur per εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Docet igitur MARCUS vera vita eum frui, qui regni divini civis sit atque in communione cum Deo huic regno praeposito vivat. Ex opposito explicata geenna debet esse locus, ubi non vivitur in communione cum Deo, sed ubi remoti ab eius facie non intimo amoris vinculo juctos se sentiunt. Poenae, quae manent impios in geenna, proponuntur sub imagine ignis quem αἰώνιον dicit MATTHAEUS, quum MARCUS opposuerit \*) ἀσβεστον (sect. 44<sup>a</sup>) quibus adjunctis si quis nondum convictus est, legat, quae postremo addit MARCUS, geennae poenas describens ὅπου ὁ σκάληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. Desumta sunt haec verba ex ISAIAE LXVI: 24, ubi pii Israelitae dicuntur, ex urbe Hierosolymorum egressi cadavera hominum Jehovahe infestorum conspicere. Nam corrodentem cadavera vermem non moritum esse neque consumentem ea ignem extinctum iri eaque horro futura esse omnibus hominibus. Quanquam FRITSCHIO assentimur dicenti Judaeos geennam sibi cogitasse, ubi revera igni urerentur impii, non tamen concedimus eidem hīc sine ulla figura dici vermes corrodentes ignemque urentem manere ne-

\*) Verba εἰς τὸ πῦρ τὸ ἀσβεστον, quae in nonnullis libris non leguntur, quum alia subsidia genitivum τοῦ πυρὸς exhibeant, sunt tuenda. Fortasse a librariis ob tantologiam omissa sunt. Sequentia ὅπου ὁ σκάληξ. z. τ. λ. quae ab aliis rejiciuntur ab aliis in textum (vs. 44, 46) sunt recepta, omittere non licet sect. 48<sup>a</sup>, ubi ab omnibus leguntur.

farios affirmanti. \*) Non admittit enim natura spiritualis regni divini, ut has sensuales poenas accipiamus e litteris. Videtur potius inesse momentum lustrationis, cui tamen, ut diserte profitetur auctor, finis non erit. Tam perspicue enim inest huic imagini aeternitatis poenarum notio, ut nemo negare possit. Rogamus, quales hasce poenas nobis proponamus, haud male patres Graeci vermem et ignem, qui extingui nequeant, explicuisse mihi videntur de cruciatis et angore conscientiae quae nunquam non malefactorum commonefaciet impium. E dictis apparet me, collato loco paralelo (Marc. IX: 48), adjectivo *αιώνιος* latum sensum tribuentem de infinito temporis spatio mentionem esse hoc loco existimare. Si quis opponit imaginem vermis et ignis, qui extingui nequeant, esse leniendam quoniam ipse textus ISAIÆ pro materiae natura sensum restrictum ac limitatum tantum modo admittit, statuendum est, conditionem vitae alterius, in quam imago applicatur, postulare latiorem sensum.

Matth. XVIII: 34. *καὶ ὁργισθεὶς ὁ ἀὐτὸς παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς ἐώς οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον.* »Et iratus dominus eius tradidit eum servis suis, dum omne debitum persolvisset.“ In fine huius capitidis legimus parabolam, quae docet Deum judicem, quicunque, peccatorum venia impetrata, fratri non con-

\*) Sic etiam flagrans Dei ira comparatur cum igni comedente (Hebr. XII: 29).

donet vitia, poenis esse affecturum. Proponitur Deus tanquam rex, qui quum audivisset servum suum, quem debito absolverat, alium in carcerem conjectisse, qui parvam pecuniae summam statim reddere non posset, poenis tradidit, dum totum debitum solvisset. Ad verba οὐ αποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον adnotavit EUTHYMIUS haec: τούτεστι διηγεῖν, οὐδέποτε γάρ λοιπὸν αποδώσει, cui sententiae subscripsit MEYERUS. Si valeret haec interpretatio, CHRISTUS poenarum aeternitatem hoc loco docuisset. Sed verbis hoc tantum inest: donec totum debitum dissolvisset. Soluto enim aere alieno diutius in carcere detineri ille non poterat nec JESUS aliud significat nisi quod Deus summa acerbitate in injustum debitorem utatur. Confirmatur haec opinio si ad sect. 30 respicimus, qua hunc servum suum debitorem in carcerem conjectisse legimus dum totum solvisset. Verisimile est eum nonnisi spe fore ut aliquando pecuniae summam acciperet ductum, hoc fecisse. Quod si in Deum applicamus EUTHYMI explicatio rejicienda videtur. Quidquid statuis, ab utraque parte haud sine veri specie disputari potest, quare ut τὴν αποκατάστασιν vel tueamur vel negemus, ad hunc locum provocari non posse existimamus.

Progredimur ad locum Matth. XXII: 13, 14, ubi JESUS regnum coeleste comparat cum rege, qui convivium nuptiale paraverat filio suo. Invitati vero adesse nolentes, servos regis injuria afficiebant

et necabant. Rex ira incensus eos graviter punivit aliosque ad convivium arcessivit; qui quum mensae assiderent, rex adveniens hominem offendit, vestitu nuptiali non indutum; qui interrogatus ab hospite, quomodo intrasset sine amictu nuptiali, responsum nullum dedit. *τότε*, sic legimus sect. 10<sup>a</sup> ὁ βασιλεὺς εἶπεν τοῖς διακόνοις <sup>\*)</sup> Δῆσαντες αὐτὸν πόδας καὶ χεῖρας ἐκβάλετε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος τὸ ἔξωτερον ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμός καὶ ὁ βρογχός τῶν οὐδόντων. » Ligatis eius pedibus manibusque, ejicite eum in caliginem extraneam, ubi erit fletus et dentium stridor. Ex sententia OLSHAUSENII aliorumque interpretum, solebant orientales iis, quos vellent honorare, vestes splendidas donare; sed non satis hac de re nobis constat. Probabilius est hac conditione tantum invitari, quae in ipsis moribus fundata erat, ut vestes decoras induerent conviviae. Hanc conditionem neglexerat ille, qui vincitus in tenebras extiores conjiciebatur. Verba ἐκεῖ ἔσται κ. τ. λ. non sunt ab ipso rege profecta sed continent adjectam commutationem quae etiam legitur VIII: 12 et Luc. XIII: 28. Summum dolorem animi desperati, qui impiis tribui solet (cf. Ps. CXII: 10) significant, quum praepositus articulus vulgo acceptam fuisse hanc impiorum conditionem designet. Unusquisque videt hoc loco

---

<sup>\*)</sup> Participium δῆσαντες non delendum est; recte vero GRIESBACHIUS, multorum codicum auctoritate, ἀριτε αὐτὸν καὶ omisit, quae verba per spiculatatis causa adiecta videntur.

gravitatis poenae solum rationem esse habitam non vero temporis, docente parabola quicunque vestimento justitiae destitutus sit, salutis compotem non fieri sed gravissimis poenis tradi.

Arkte cohaeret cum praecedentibus sect. 14<sup>a</sup> πολλοὶ γὰρ εἰσιν κλητοί, ὅλιγοι δὲ ἐκλεκτοί, quae causam illustrat, quare rex ita egerit. Mirum cuidam subire poterat hospitem convivam assidentem tam male tractasse, sed huius agendi ratio nocuerat bonis moribus. Nititur hoc effatum CHRISTO in experientia, quae docet non omnes animo accipere Evangelium. Si ethicum sensum verbis elicimus, docet CHRISTUS non quemvis, cui Evangelium sit annuntiatum, salvum fieri; conditioni enim ab Evangelio postulatae esse satisfaciendum. Indicat contextus verbum οὐαλεῖν habere notionem invitandi, ita ut κλητοὶ non sit accipiendum de absoluta praedestinatione, nec ἐκλεκτοί ad aeternum Dei decretum spectet. Minime haec notio inest parabolae, quae ipsi convivae culpam tribuens non Deum facit auctorem. Perperam igitur multi interpretes vocabulo ἐκλεκτοί subintelligunt »a Deo», nam actio ab homine non a Deo profecta proponitur. Libertas moralis potius ita vindicatur, ut qui malefactum excusare nequeat coram judice, poenas det. Si ad regnum Messianum hoc transferimus, hic sensus adest: ad multos quidem pervenit hocce regnum et magnus numerus est eorum qui CHRISTI nomen profiteri creduntur, sed non omnes hi Deo

accepti sunt, quoniam non omnes vera fide CHRISTO habita sunt justificati.

Quanquam igitur hic locus primo obtutu dogma absolutae reprobationis continere videtur, revera tamen hoc referri non debet.

Matth. XXV: 41. Sequitur gravissimus locus, qui sic se prodit: *τότε ἔρει καὶ τοῖς οὖσιν ὑπάκουον πορευέσθε ἀπὸ ἡμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πώρο τὸ αἰώνιον, τὸ ητοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ,* »tunc dicet iis quoque, qui a sinistra stant: exite a me, qui condemnati estis ad ignem aeternum, qui diabolo eiusque legatis paratus est.” Opponuntur *τοῖς ἐλογημένοις* (sect. 34<sup>a</sup>) qui a Deo devoti erant, cuius execrationis causa legitur in sect. 42<sup>a</sup> sq. Articulus praepositus adjectivo *αἰώνιον* diserte indicat magnam vim in hoc adjectivo esse positam; significatur enim ignis ille aeternus, qui tanquam poena gravissima Judaeis erat notus. Hoc supplicium manet diabolum eiusque angelos, quibus paratum est. Aperte docetur poenarum aeternitas, quod WETTIUS quoque concedit. Idem vero dogmaticis studiis ductus, verborum vim infringere conatur addens ignem non proprie esse intelligendum sed metaphorice, quod lubenter concedimus, et adjectivum *αἰώνιον* non stricte de aeternitate esse accipiendum. Quanquam viro clar. assentimur dicenti, admonitionem, quam a CHRISTO datam legimus nostro loco, non continere expositionem de aeterna rerum conditione, existimamus

tamen verba τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον talem significare poenam, quae gravissima nunquam exitum est habitura.

Sect. 46. Fusiorem expositionem exigit haec sectio. Postquam rationem dederat CHRISTUS quare, qui a sinistro stabant, condemnationi obnoxii essent, miseri suam agendi rationem excusare conantur. Sed nihil movet sententiam judicis, quae hisce verbis memoratur: καὶ ἀπελευθεροῦται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. »Et abibunt illi in poenas aeternas justi vero in vitam aeternam.“ Eadem fere formulam legimus Dan. XII: 2 ubi LXX verterunt οὗτοι εἰς ζωὴν αἰώνιον καὶ οὗτοι εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον. Recte statuit MEYERUS membra parallela ζωὴ αἰώνιος — κόλασις αἰώνιος ita sibi invicem esse opposita ut in altero vitae aeternitatem accipientes, alterum etiam de poenis aeternis accipiamus oporteat. Vita aeterna quam exspectabant Judaei erat ea felicitas, qua Messiae beneficio probi homines fruuntur coelestibus HIEROSOLYMIS et in Messiae civitate. Quanquam vocabulum αἰώνιος eo sensu nonnumquam usurpari concedimus, ut quae diutius perdurent, designet, docet tamen Judaeorum theologia τὴν ζωὴν αἰώνιον et τὴν κόλασιν αἰώνιον tanquam rerum omnium ultimum cogitari. Quocirca, ait FRITSCHIUS, nisi vellent omnes res postremo in nihilum redigi, a qua sententia ingenium humanum omnino abhorret, non poterant non utramque conditionem sempiternam praedicare.“ Haec Judaeorum

opinio, quae duplicem vitae futurae conditionem docebant, prohibet quominus tempus finitum designatum esse adjectivo *αιώνιος* accipiamus: nam nostro loco altera alteri opposita memoratur. Monent alii linguam N. F., si vis adjectivo substantivo postposito, tribuenda sit, articulum postulare: quod multis locis allatis probatur, unde apparet auctores vel adjectivum praeposuisse substantivo vel subjunxisse praemissso articulo, si urgendum sit. Revera igitur videtur adjectivum *αιώνιος* haud magna gaudere vi; attamen eius notio non infringenda est. Persuasum enim mihi est verba *κόλασιν αἰώνιον* idem continere ac supra sect. 41<sup>a</sup> et XVIII: 8, τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον ubi articulus repetitus nullum dubium relinquit interpreti, quin ad poenae gravitatem augendam sit additus. In ultima parte huius capititis (a sect. 31—46) descriptionem legimus extremi judicii, quod CHRISTUS sit habiturum de omnibus qui ei nomen dederint. De actis et operibus judicium feretur, non quia per opera justificatio fit, sed quod vera fides quae non potest non ferre fructus caritatis, per opera dico scitur. Convenienter dictis (X: 40) ὁ δεχόμενος ὑμᾶς ἐμὲ δέχεται καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με CHRISTUS beatos praedicat, qui caritatem praestiterunt erga minimos fratres: iis vero, qui non tulerunt fructus amoris e vera fide redundantes, gravissimum imo aeternum supplicium indicit. Nec mirum, nam fide carent, qua sola justificatus christianus salutem

sibi acquirere potest. Ex rei natura sequitur illum tantum manere vitam aeternam, qui jam hac in terra fide CHRISTO habita, in communione cum Deo, unico fonte verae salutis vitam degerit. Quicunque vero ab eodem Deo remotus vixit neque per fidem cum illo conciliari passus est, non poterit ille felicitate frui, quae in Deo fundata est, sed semper sentiet miseriam, quae ex pristina vivendi agendique ratione consequatur necesse est.

Apoc. XIV: 11. Postquam angelus secundus Babylonis interitum annuntiaverat, ecce, tertius adest magna voce exclamans: si quis adorat animal eiusque imaginem, graviter punietur coram angelis et agno *καὶ*, sic pergit sectione 11<sup>a</sup>, ὁ καπνὸς τὸν βασανισμοῦ αὐτῶν εἰς αἰώνας αἰώνων ἀναβαίνει. „Fumus eorum cruciatuum in saeculum saeculorum adscendet.” Haec verba, ex ISAIÆ cap. XXXIV: 10 desumpta diserte aeternitatem poenarum continere mihi videntur. In sectione antecedente legimus improbos cruciatum iri ἐν πυρὶ καὶ θεῖῳ quae illustrant vocem καπνὸν: intelligitur enim ille fumus, qui escendit de igne et sulphure, quanquam tropice dicitur fumus cruciatus. Describuntur autem improbi tanquam cruciati igne et sulphure, quorum si semper es- cendit fumus, sempiterni cruciatus significantur. Formula εἰς αἰώνας τῶν αἰώνων infiniti temporis notionem clare habet: nam si certam temporis periodum spectasset auctor articulus praemissus esse deberet. Male GROTIUS hunc

locum explicat de memoria cruciatuum, quos pertulerunt impii, addens »erumpunt enim impiis saepe verba laniationem animi testantia.” Aperte autem docet noster locus non memoriam cruciatuum sed ipsos cruciatus fore sempiternos.

Joh. III: 36. JOHANNES Baptista de se et de CHRISTO disserens sic concludit: ὁ πιστεύων εἰς τὸν νίον ἔχει ζωὴν αἰώνιον ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ νίῳ οὐκ ὄψεται ζωὴν ἀλλ’ ἡ ὁργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ’ αὐτὸν. »Qui fidem habet Filio, vitam habet aeternam, qui vero Filio inobediens est non conspiciet vitam, sed ira Dei manet super eum.” Promittit JOHANNES illi, qui Filio fidem habet, vitam aeternam, quum eos opponat, qui CHRISTO non sunt obsequentes sed in peccato persistunt super quos manet ira Dei. Neque mirum hoc est, qui autem CHRISTUM rejiciunt, qui solus naturae spirituali et morali satisfacere potest, manent in misera conditione, a Deo se alienatos sentientes. \*) Perspicuum est ὁργὴν, quae Deo tribuitur, anthropopathice esse explicandam, ut significetur, Deum a peccato aversantem, ab impio tanquam iratum judicem cogitari. Dicitur ira divina *manere* super eum, quod non positum est pro simplici »esse”. Solet enim JOHANNES verbo μένειν tribuere notionem perpetuitatis (VIII: 31, XV: 9, 1 Joh. II: 17),

---

\*) Quae diximus, comprobantur loco Joh. III: 19 ubi impii, CHRISTUM rejicientes, se ipsi condemnare dicuntur. Hinc apparet ipsam peccati naturam divertium facere peccantem inter et Deum.

quare retinendus est sensus, qui alibi obtinet. Ex opposito *ζωὴν αἰώνιον* deduxerunt nonnulli interpretes aeternitatem poenarum et revera hoc sibi vult JOHANNES eum, qui CHRISTO non obsequitur sed peccatis se dare pergit, iram divinam experiri. Monet tamen rei natura ut subintelligamus „donec mentem converterit”. Nulla pace gaudebit cum Deo. An unquam talis *ἀπειθῶν* CHRISTO fidem sit habiturus, hoc loco JOHANNES non enuntiavit quod nos permovet, ut nullam probandi vim huic loco tribuamus quo ad nostrum argumentum.

Etsi hoc effatum JOHANNIS Baptistae aeternitatem poenarum non docere contendimus, alibi tamen idem diserte eam enuntiasse mihi videtur. Matth. III: 12 verba *πνοὶ ἀσβέστῳ* notionem aeternitatis continere non negamus. Qui enim haec explicant de igne, 'qui non extinguetur, nisi stramenta sint combusta, vel diu ardente, praetervident consilium Baptistae qui certe non tales poenas significare voluit, quae impiis cito interitum parant, sed quae ob perpetuitatem gravissimae sunt.

Pervenimus ad parabolam notissimam de LAZARO et divite, quae legitur Luc. XVI: 19—31. Docet contextus CHRISTUM hac parabola non usum esse consilio ut aeternitatem poenarum urgeret: sed tamen ex nonnullis adjectis haec deduci potest. Imprimis Phariseos avaros CHRISTI oratio spectare videtur, quae dicit non ideo, quod magno honore et divitiis eminent inter ho-

mines, eos coram Deo multum valere. Si recte se habet eorum sententia, qui sect. 16—19 interpolatas habent, apte subsequitur parabola de LAZARO et divite admonitioni Pharisaieis datae (sect. 15<sup>a</sup>). Liberalitatem et benignitatem commendans duas CHRISTUS informat personas, quarum una est homo divitiis splendens, sensuum voluptatibus deditus. Sequens vero vita, mutatis partibus, priori miseriam alteri felicitatem tribuit. Quanquam multa huius descriptionis temporis et aequalibus JESU concedenda esse putamus retinendum tamen est verum, quod latet in hac imagine. Praecipuam probandi vim habet sectio 26<sup>a</sup>, ubi et verbum ἐστηριζεται et sequentia certissime aeternitatis notionem continent. Relicta imagine hoc fortasse significatur: magnum discrimen adest inter salutem, qua gaudet pius et miseriam, in qua versatur improbus: haec remotio tolli nequit, etiamsi exstaret voluntas. Summo jure hinc derivatur, quemadmodum bonus numquam futurus sit miser, miserum felicitate qua gaudet pius destitutum fore in aeternum.

Constat Judaeos Hadem in duas partes dividere Geennam et Paradisum.<sup>\*)</sup> Nonnisi justi Paradisum ingrediuntur, quorum animae eo feruntur per angelos (vid vs. 22). Injustus dives versabatur in Geenna, quae ex Judaeorum opinione angusto spatio a Paradiſo sejuncta erat, unde conspiciebat LAZARUM summa felici-

---

<sup>\*)</sup> Cf. locus e Targum. Cantic. IV: 22 a MEYERO citatus.

citate gaudentem in sinu ABRAHAMI. Preces huius miseri non exaudiuntur ab ABRAHAMO, quum Judaeorum errorem refutet CHRISTUS quasi ABRAHAMUS condemnatos poenis liberare posset. Illud *χάσμα* proponitur tanquam gravissimum obstaculum, quod ne ABRAHAMUS quidem tollere valebat. Inepta sane esset animadversio hic de ipso judice nullam mentionem fieri, qui hunc transitum parare possit, nam ex rei natura potius sequi mihi videtur neminem transire posse. Quod si transferimus in religionem Christianam, monet CHRISTUS ipsam peccati indolem remotionem perficere, quae superari nequeat. Si quis nostrae interpretationi huius loci, aeternitatem poenarum tuenti opponit, preces, quae offeruntur a misero in commodum fratrum, testari eum sensu morali nondum plane destitutum esse, atque nobis igitur emendationem prorsus excludere non licere, credimus ipsam rei descriptionem persuadere ut haec gravitatis poenarum urgenda causa addita habeantur. Debebat enim memoria familiarium, qui eandem vivendi rationem sequebantur quam ipse olim, vehementioribus cruciatibus animum eius vexare. \*)

\*) Ad indicandos dolores usurpantur formulae *ὑπάρχων ἐν βασάνῳ* (sect. 23<sup>a</sup>) et *δῶνομαι ἐν τῇ φλογὶ τάντῃ* quae se invicem illustrant. Vox *βασάνος* habet notionem extorquendi, explorandi et hinc deductum verbum *βασανίζειν cruciare explorandi causa significat, sed in N. F. simpliciter de poenis et cruciatibus usurpari solet.* v. c. Matth. IV: 24 morbo laborantes dicuntur *νόσοις καὶ βασάνοις συνεχόμενοι*: deest omnis notio explorandi. Cf. Matth. VIII: 6, XIV: 24. Male igitur nonnulli usurpunt vocis *βασάνος* propriam significationem, ut lustrationem potius quam castigationem intelligi dicant.

Hebr. VI: 2. μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι μετανοίας ἀπὸ νευρῶν ἔργων καὶ πίστεως ἐπὶ θεόν, βαπτισμῶν διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε γειρῶν, ἀναστάσεώς τε νευρῶν καὶ κρίματος αἰώνιου. Ultima verba huius sectionis κρίματος αἰώνιου aeternam damnationem docere nonnullis visa sunt. Pendet quaestio ab eo, utrum hoc κρίμα ad fideles et infideles an ad solos malos referendum sit. Si prior obtinet explicatio, verba κρίμα αἰώνιον indicant universe judicium illud quod aeternitatis est, omnibus judiciis terrestribus oppositum. Posteriorem si accipimus, majorem vim acquirit adjectivum αἰώνιον significans condemnationem, quae de improbis feretur, valere in aeternum. Utrum sibi voluerit auctor, doceat contextus, vulgarisque qui obtinet sensus verbi κρίμα. Enumerantur in fine sectionis quae διδαχαί, quae tam apud Judaeos, quam apud Christianos vigebant. Judaei, exceptis Sadducaeis, τὴν ἀνάστασιν et τὸ κρίμα non ad improbos restringentes ad omnes homines extendebant. Nulla adest idonea causa, cur auctorem nostrae epistolae ab hisce Judaeorum opinionibus recessisse statuamus: imo potius ipse in ejusdem epistolae cap. IX: 27 omnibus hominibus addicit κρίσιν. Quanquam CHRISTI resurrectio eiusdemque judicis declaratio Christianorum opiniones hac de re stabiliverunt, revera non dissentient a dogmatica Judaica: nam et PAULUS in priore ad Corinthios epistola et JOHANNES in Apoc. XX: 5 generalem docent in vitam redditum. Interpretes vero qui

*τὴν αὐάστασιν* ad fideles, τὸ οὐρῖα ad improbos restrin-  
gunt, urgent usum vulgarem vocis *οὐλατρος*, quippe  
quae malo sensu obtinere soleat. Facile iis concedimus  
plurimum hoc fieri. Si vero supra dicta consulimus et  
antecedentem *αὐάστασιν* de omnibus accipimus, monet  
logica interpretatio, ut τὸ οὐρῖα αἰώνιον tam probos  
quam improbos complecti dicamus. Non urgenda est  
notio vocabuli *αἰώνιος*, quod designare mihi videtur  
illud judicium, quod, ex Judaeorum exspectatione habi-  
turum sit Messias ἐν τῷ μέλλοντι αἰώνι. Nonnisi umbram  
continet aeternae condemnationis hicce locus, quo fit ut  
nostro argumento illustrando nihil fere afferat.

1 Cor. I: 18. ὁ λόγος γὰρ ὁ τοῦ σταυροῦ τοῖς μὲν  
ἀπολλυμένοις μωρία ἐστὶν τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν δύναμις  
θεοῦ ἐστὶν. » Verbum enim crucis iis, qui pereunt  
stultitia est, nobis vero, qui servamur est efficacitas  
Dei.” Citatur hic locus a nonnullis, unde dogma aeter-  
narum poenarum petant. Sed nihil probat, quod ur-  
getur, vocabulum *ἀπολλυμένοις*. Quicunque enim ali-  
quam notitiam sibi contraxit sensus, quo *ἀπολλύναι*,  
oppositum verbo *σώζειν* obtinet, PAULUM novit ita  
scribere solere ut, donum praecipuum regni divini  
*τὴν σωτηρίαν* vocans, *σώζεσθαι* dicat eum, qui huius  
regni socius fiat: unde constat *ἀπολλύναι* de iis usur-  
pari qui sine CHRISTO vivant. Sequentia hanc con-  
firmant opinionem; in sectionibus 23 et 24 Ethnicoſ  
CHRISTUM crucifixum stultiam habere diserte scripsit

auctor.<sup>\*)</sup> Historico igitur sensu accipienda sunt vocabula designata de iis qui vel CHRISTUM acceperunt vel non agnoverunt. Sintne hi in aeternum perituri, concludere ex hoc loco non licet, nam nulla temporis notio adest.

1 Joh. III: 15. Huius loci verba ὁ μὴ ἀγαπῶν μένει ἐν τῷ θανάτῳ afferuntur, quippe quae primo obtutu aliquam vim probandi habere videantur. JOHANNES mutuam caritatem tanquam signum proponit, quo veri Christiani dignoscantur. Quicunque CHRISTI dicto audiens est, ab eo dicitur de morte in vitam transisse, vitam enim vere vitalem solus christianus agit (Joh. V: 24). In morte versatur ὁ κόσμος, CHRISTO adhuc infestus, peccato deditus. Miserrima eius est conditio, plane opposita laetissimae illi, qua gaudet homo Christianus. Qui vero hanc caritatem erga fratrem non praestat, se CHRISTO fidem abnegare manifestat, fides enim est genitrix veri amoris. Manet iste in miseria mundi. De morte aeterna nihil monet apostolus; nisi forte quis verbo μένει hanc vim tribuat. E nostra saltem sententia, dicit apostolus eum, qui nomine quidem Christianis adscriptus sit, revera tamen non ferat fructus amoris ex fide redundantes, manere in morte. Hic, etsi externa specie Christianus e statu mortis transierit in vitam, salutis tamen Christianae particeps non est.

Progredimur ad locum, qui invenitur in epistola JUDÆ

---

\*) Cf. hac de re REUSS, *Histoire de la théol. chrét.*, t. II, pag. 146, 250.

Incipit haec epistola ab admonitione, ut constanter sint in fide lectores, et invehitur scriptor in impios deditos libidini. Ad terrorem animis injiciendum afferuntur exempla poenarum, quibus Deus affecit infideles, quum haec addantur de angelis (sect<sup>e</sup> 6<sup>a</sup>): *ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἄλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητῆριον εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς αἰδίοις ὑπὸ ζόφον τετηρηνεν.* »Angelos autem, qui suum principatum non servaverant sed domicilium suum reliquerant, ad judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine servavit.“ <sup>o</sup>) Docet JUDAS Deum ipsorum angelorum defectionem ultum esse. Hi principatum <sup>†</sup>) non servarunt. Putabantur enim angeli a Deo accepisse dominationem, ut in homines vim exsererent. Domicilium suum, quod tenebant in regnis lucis, reliquerunt. Liber HENOCHI, unde multa desumisse videtur JUDAS de angelologia, dicit ideo descendisse angelos de coelis in terram, ut filias hominum uxores sibi ducerent, sicuti legimus Gen. VI: 2. Breviter scripsit auctor II ep. Petr. II: 4. *ἀγγέλων ἀμαρτησάντων*, nullum angelorum delictum memorans. Quaenam poenae iis infligantur a

<sup>\*)</sup> Lectio *τε* praeferenda est particulae *δε*, quam tuentur codex Alexandrinus et varii minusculi. Postulat oratio, quae argumentatur a maiori ad minus, simplicem conjunctionem cum antecedentibus, quae abunde indicatur particula *τε*.

<sup>†)</sup> Sic vertendam esse putamus *ἀρχὴν*, quae interpretatio admittitur usu scribendi, nam potestates non raro dicuntur *ἀρχαὶ*, et arcte cohaeret cum sequentibus *ἄλλα ἀπολιπόντας τὰ ἴδιαν οἰκητήριαν*. Memoratur locus unde vim suam exercerent.

Deo, sequentia monent. Inclusi tenentur sub caligine, in infimis partibus loci illius caligine referti, ad diem judicii. Minus usitatam vocem ζόφον legimus, quae alibi haud raro cum σκότῳ juncta occurrit. Opponitur Tartarus caliginosus coelis qui luce splendent. Vincula dicuntur ἀιδῖοι: hoc vero adjectivum non proprie accipi potest; nam temporis punctum additum est, quo haec vincula solvuntur. Non aeterna sunt dicenda ea vincula quae ad diem judicii ligatos tenent angelos. Significat hoc verbum tam dura esse haec vincula, quasi in aeternum tenere deberent miseros. Nullo jure derivatur ex hoc loco aeternitas poenarum, nam gravitas tantum supplicii indicatur. Plane convenient cum argumento nostri loci, quae continet liber HENOCHI. Deus ibi depravatis angelis principatum adimit eosque in extremam conjicit caliginem. Recte citavit MEYERUS locum, qui legitur in libro ZOHAR: »postquam filii Dei filios genuerunt sumsit eos Deus et ad montem tenebrarum perduxit, ligavitque in catenis ferreis, quae usque ad medium abyssi magnae pertingunt." Pugnat JUDAE angelologia cum doctrinā, quae alibi offenditur in N. T. Fungi solent diabolus et angeli vim suam exercentes, postquam a CHRISTO damnatus sit diabolus cf. Joh. XXI: 4. Hoc negat JUDAS, qui angelis tales infligit poenas, ut omni vi careant in homines. Ad hanc difficultatem tollendam varia proposuerunt interpres. A mente scriptoris prorsus aliena est CALVINI

explicatio: »porro nobis fingendus non est locus, quo inclusi sint diaboli. Simpliciter enim docere voluit apostolus, quam misera sit eorum conditio, ex quo propter apostasiam, sua dignitate privati sunt. Nam quocunque pergent, secum trahunt sua vincula et suis tenebris obvoluti manent. Interea in magnum diem extremum supplicium differtur.” Locum indicatum esse appareat ex postrema parte nostrae sectionis, quum ipsa oratio eiusque contextus historicum factum respicere videantur. Hanc quaestionem silentio praetermittere noluimus, quanquam longius a proposito nos abducet fusius eam exponere novamque explicandi rationem addere.

Jam sectio 13<sup>a</sup> eiusdem epistolae nobis tractanda est, imprimis haec verba *ἀστέρες πλανῆται οἵς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς αἰῶνα τετήρηται*<sup>\*)</sup>). Ut supra diximus, *ζόφος* cum *σκότει* conjunctum est et significat condensatam caliginem Tartari. Indicit JUDAS impiis, quos modo variis modis depinxit, futurum supplicium. Difficultatem pariunt verba *εἰς αἰῶνα*. Duae admitti possunt explicationes, altera »iis reservatur caligo in aeternum futura” altera »ad illud usque tempus iis reser- vata erit caligo, quo extremum judicium de iis feretur”. Si attendimus ad significationem, quam habet con-

<sup>\*)</sup> Eandem formulam invenimus 2 Petr. II: 17, ubi vero omisit TISCHENDORFIUS *εἰς τὸν αἰῶνα*. Praemittunt codices B et I articulum, quem fortasse interpolatus est librarius, quoniam plerumque occurrit huic substantivo antecedens.

structio verbi *τηρεῖν* cum praepositione *εἰς* sectione 6<sup>a</sup> ulterior commendatur explicatio. Omissus vero articulus infinitum spatium designat: certe enim articulus additus esset, ut semper fit, si *τὸν αἰῶνα μέλλοντα* spectasset auctor. Probabilis fit illa opinio, nam in priore quadam sectione huius epistolae diserte aeternae poenae memorantur. Sectione 6<sup>a</sup> Sodoma et Gomorrha dicuntur *ὑπέζουσαι πυρός αἰωνίου δίκην*: unde mihi constat JUDAM aeternitatem supplicii in mente habuisse. Si autem reputamus has poenas allatas esse ab auctore tanquam exempla eorum, quae passuri sint impii, nulli sane dubitamus quin nostro loco verbis *εἰς αἰῶνα* aeternas fore has poenas docuerit auctor.

Matth. XXVI: 24 (cf. Marc. XIV: 21) continet gravissimum JESU effatum de Juda: *καὶ οὐν τὸν ἄνθρωπον οὐχ εἰς εἰναὶ θηρίον ὀνθρώπων εἰσεῖνος* »Praestaret ei, si numquam natus fuisset talis homo." Sciebat CHRISTUS se mortem violentam esse subiturum, ut scriptum erat, et, quamquam huic fato se substrahere solebat quippe a Deo sibi imposito, animus tamen misericors triste supplicium sibi proponebat illius, qui filium hominis proderet. Tam gravis huius miseria foret, ut conduceret illi, si numquam natus fuisset. Haec verba, quae proverbialiter accipienda esse videntur, non significant bene esse illi, qui non sit, sed homines tam miseros esse posse, ut merito optent non esse. Haec explicatio, quam multi interpretes

secuti sunt, in promptu est et simplicitate commenda-  
tur. Si ipsa verba urgemuſ, CHRISTO absurdā tribui-  
muſ, nam non absolute de tota Judae existentia loqui-  
tur CHRISTUS, sed tantum quo ad miserrimam sortem.  
Hanc respiciens dicit melius illi esse, si numquam  
natus fuſſet. Non video, quare hisce verbis CHRIS-  
TUM aeternitatē poenarum significare voluisse pute-  
muſ \*), nam aperte gravitas poenae indicatur, quae  
Judam, perpetrato maleſicio, ita vexabit, ut non exi-  
ſtere optatiſ ei futurum sit.

Joh. V: 24, ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι ὁ τὸν λόγον  
μου ἀκούσων καὶ πιστεύσων τῷ πέμψαντί με ἔχει ζωὴν  
ἀιώνιον καὶ εἰς ζωήν οὐκ ἔρχεται ἄλλὰ μεταβέβηκεν  
ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν. Continet hic locus enun-  
tiatum CHRISTI de vita aeterna a Judaeorum exspecta-  
tione plane diversa. Vita aeterna, quam post mor-  
tem initium capere putabant Judaei, jam nunc frui  
is dicitur, qui CHRISTI oratione audita fidem habet  
illi, qui misit JESUM. Arcte jungitur haecce vita  
cum conditione post mortem futura, quas acriter se-  
cernebat Judaeorum theologia. Illi, qui vitam aeter-

\*) Majorem vim huic loco tribuit vir doct. v. OOSTERZEE, dicens (*Het Leven van Jezus*, Dl. III, p. 165): «Zich zijner geheel eenige groot-  
heid bewust, voelt JEZUS dat geen misdrijf naast dit misdrijf te plaat-  
sen is; met de geheimen der eeuwigheid bekend ziet Hij, dat geene  
herstelling uit die ellende te hopen is. Of het mogelijk ware JUDAS  
terug te trekken van den oever des afgronds, waaraan de rampzalige  
waggelt, ligt Hij een enkelen slip van den sluijer der eeuwigheid op en  
vergunt allen die Hem hooren een' blik in eene wereld vol jammer.”

nam possidet, oppositus est qui εἰς οὐδίσιν ἔρχεται, damnationi obnoxius est. Simplex οὐδίσις vim habet compositi κατακρίσεως et denotat damnationem, quae manet impium. Transit ille e morte in vitam, qui autem vera vita et conditione felicissima gaudet, quomodo condemnabitur? Qui fide sanctificatus non est, jam hac in terra se condemnatum esse animo sentit, expectans miseriam <sup>\*)</sup>). Quanquam ex hisce apparet, nos οὐδίσιν ita accipere, ut sit damnationis conscientia, quae impium vexat et vexabit post mortem, aeternitatem poenarum ex hoc loco non efficimus nam adjectivum αἰώνιος, appositorum ζωή videtur potius indelem huius vitae indicare quam perpetuitatem, quum in sequentibus nihil ei respondeat, temporis finiti aut infiniti notionem continens.

<sup>\*)</sup> Cf. III: 19.

## EPICRISIS.

Pervenimus ad ultimam partem nostrae disquisitionis, quae conclusionem ex antecedentibus petitam continebit. In interpretandis locis, qui vel majore vel minore jure ad probandum aut refutandum dogma τῆς ἀποκατάστασις citari solent, quantum fieri potuit a studio partium alieni, sensum simpliciter indagavimus. Idem nobis accidit quod multorum inquisitionibus evenit, alios locos nimirum certissime docere τὴν ἀποκατάστασιν visos esse alios contrariam sententiam. SCHWEIZERUS<sup>\*)</sup> diserte hanc controversiam profitetur, eique assentitur MARTENSENIUS †), qui huic parti eschatologiae nodum inesse contendit, quem nec Sacra Scriptura nec ingenium humanum satis clare enucleat. Revera tantae molis mihi videntur difficultates exegeticae tantique momenti diversitas multorum locorum, ut de conciliatione fere desperandum sit. Nam etsi loquendi usui

<sup>\*)</sup> *Die Glaubenslehre der Evang. reform. Kirche* p. II<sup>a</sup>. s. 2. p. 146: «In der H. Schrift scheint neben den Andeutungen ewiger Verdammnis auch die Hoffnung endlicher Wiederbringung Aller ausgesprochen zu sein.»

<sup>†)</sup> *Die christliche Dogmatik* ed. 2<sup>a</sup>. p. 534 sqq.

et ferventi Orientalium animo multa concedimus, quae rerum descriptiones aciores reddiderint, quam ipsa natura ferebat, tam grave tamen adest discriben, ut hac ratione tolli nequeat. Constat porro multum interesse inter eschatologiam Joanneam et Synopticorum, qua de re mox fusius. Quamvis veritatem christianam in universum secum pugnare non posse, persuasum mihi habeam, simul agnoscendum est, apostolos singulos pro sua indole rem, quam a CHRISTO acceperant, varie proposuisse. Imprimis in eschatologia hoc patet, quae a JESU discipulis vario modo exulta est, unde efficere possis, CHRISTUM, practicis studiis ductum haud multum de rebus post mortem futuris cum discipulis disseruisse, ita ut sponte fieret, ut quae docuerat magister, singuli suo modo illustrarent et expli-  
carent.

Obest nobis officium, instituendi conamen memoriae difficultatis tollendae, quod si facimus, haec methodus certissima mihi visa est, quae indole spirituali religionis Christianæ controversiam explicare studet. Haud improbabile enim est diversitatem, quam in Sacro Codice invenimus, inesse potius expositioni, quam ipsius rei naturae.

Si ad locos expositos respicimus, prae aliis PAULUS ante oculos est tanquam acer vindex placiti *τῆς ἀποκάταστάσεως*, quod nos movet ut ab eo ordiamur.

Quemadmodum JESU discipuli, docente historia, ae-

qualium opinionibus adhaerentes doctrinam Judaicam cum religione Christiana haud raro miscebant, iidem vero sensim sensimque naturam spiritualem regni divini perceperunt, sic etiam PAULUM videmus in expoundendis rebus eschatologicis doctrinam Judaicam non plane dereluisse. Nil mirandum est, quod in huius apostoli scriptis nullum systema eschatologicum, omnibus numeris absolutum invenimus, sed potius exspec- tationem desideratissimi triumphi, quem aliquando de inimicis sit habitura religio Christiana, enuntiatam legimus. Pauca enim, quae hac de re acceperat PAU- LUS, suo modo proposuit. Accurata igitur nobis opus est inquisitione in formas eschatologicas Judaeorum; quibus omissis, perspicuum erit, quid religio Christiana privum et proprium habeat hac in re.

Dogmata ad eschatologiam pertinentia non recensuisse videtur PAULUS inter locos fundamentales religionis Christianae, nam in epistola ad Romanos, quae prae aliis laude digna est ordinis systematici, ea plane si- lentio premit.

Ex locorum Paulinorum expositione appareat PAU- LUM, quem nonnumquam complexum potius hominum quam singulas personas significasse haud negaverim, a principio theologico initium orationis capientem *τὴν αποκατάστασιν* diserte docuisse. Tantam vim tribuit gratiae divinae, ut omne malum adhuc Deo infestum sit victura omnesque homines ad CHRISTUM sit conversura.

Firma haec persuasio hinc fortasse orta est, quod PAULUS efficacitatem huius gratiae mirifico modo expertus erat. Quis autem, eius vitam reputans, non miratur subitam animi conversionem, quae acerrimum Judaismi vindicem et Christianorum oppugnatorem movit, ut CHRISTO fidem habens totum se daret Evangelio annunciendo, utque odio et Judaeorum persecutionibus deterri non passus sit, quin CHRISTI nomen palam profiteretur. Non potuit non hoc factum stupendum magnam vim exercere in eius cogitandi rationem eumque excitare ad gratiam divinam omnia superantem, laudibus extollendam.

Né quis vero putet, PAULUM ad CHRISTUM conversum subito Judaeorum theologiam, quam olim veritatis studio ductus accerrime propugnaverat, prorsus deseruisse. Est enim naturae humanae gradatim procedentem excolere mentem, quod PAULI scripta quoque comprobant. Accurata disquisitio indicat PAULUM exspectationibus Judaeorum sensualibus sensim sensimque omissis, naturam spiritualem Evangelii recte percepisse. Exstat autem in altera epistola ad Thessalonicenses locus, ubi diserte poenarum aeternitas docetur. Quum vero haec epistola, quae eodem anno (54) confecta esse creditur, quo prior illa, contineat theologiam Judaicam redolentia, haud temere statuimus PAULUM, quum hasce mitteret litteras, ab eschatologia Judaica nondum plane aversum fuisse, neque tam clare, quam

in posteriore vitae stadio, res futuras perspectas habuisse. Ceteroquin nulli dubitamus quin PAULUS, ubi in epistolis ad Romanos et Corinthios redemtionem CHRISTI universalem omnesque complectentem amorem Dei urget, omne malum extinctum iri et sublatum crediderit. Frustra quaeritur in theologia Paulina locus de absoluta reprobatione, quum recte nonnulli animadverterint apostolum, qui tot verbis vitam aeternam eiusque felicitatem describit, non multum esse in expositione mortis aeternae eiusque miseriae. Itaque concludimus principium theologicum a quo profectus est PAULUS, quamvis non tollat libertatem moralem sed potius eam virtute gratiae divinae ad bonum flecti statuat, postulare τὴν ἀποκατάστασιν πάντων, quippe qua regnum divinum compleatur.

A PAULO ad PETRUM pergimus, qui oratione ad populum habita (Act. III) enuntiat suam persuasionem de Messia reddituro ad regnum Messianum condendum; quem locum explicantes vidimus PETRUM adhuc Iudeorum exspectationes eschatologicas fuisse. In priore epistola, quae nomen PETRI profitetur, duos locos invenimus, ubi PETRUS post mortem locum esse conversioni docet. Altera epistola, cuius authentia in dubium vocatur, continet locum (III: 9 sq.) qui quum praedestinationem conditionatam (sit venia verbo!) doceat, nullam vim probandi affert atque igitur hic nostram attentionem non meretur. Quem in PAULI

scriptis admirati sumus ordinem systematicum, caret PETRUS, quod hominis indole et qua usus est institutione facile explicatur.

Erat enim PETRUS natu Judaeus, cuius institutio vitaeque agendae ratio mentis culturae valde obstiterant. Quae nobis de eo scripto mandata sunt, virum spectandum proponunt, cuius fervor placidam animi deliberationem non admittit. Talis indolis hominem practicis potius quam theoreticis studiis in componendis scriptis ductum fuisse, mirum non est. Si vel eius orationes vel epistolam legimus, paraeneticum consilium habuisse auctorem, apertum est.

Afferebat PETRUS CHRISTUM adiens multas opiniones Judaicas menti infixas, quibus JESU institutio vix eum liberaret. Non convenit proposito meo, exempla afferre, quibus dicta illustrem. Idem vero apostolus, ducente Spiritu Sancto, naturam spiritualem Evangelii postea melius cognovit. Qui autem prius Messiam ad solis Judaeis salutem offerendam venisse persuasum sibi habebat, posteriore vitae stadio tam latos posuit fines regno CHRISTI, ut vel mortuis Evangelium annuntiari scripserit. Rite animadvertendum est PETRUM haec dicentem, omisisse Judaeorum doctrinam, quae tam acriter hanc vitam a futura illa separabat, ut communio inter utramque obtinens cogitari vix posset.

Quanquam PETRUS a theologico principio non profectus diserte spem omnium restitutionis non enuntia-

vit, sed anthropologiam secutus est, negligendi tamen non sunt loci allati (III: 18. IV: 6), qui quodammodo saltem nostrum argumentum illustrant. Si enim incerti essemus de sorte ethnicorum aliorumque, qui ante CHRISTI apparitionem vixerunt, jam certiores redditi sumus iis etiam CHRISTI cognoscendi opportunitatem oblatum iri. Sic alitur nostra spes, fore ut omnes, qui antea CHRISTUM vel non cognoverunt vel rejecerunt, tandem amore divino commoti regni divini cives fiant. Haec jure effici posse mihi videntur e loco Petri, cui tamen nihil inest de eventu quem Evangelii annuntiatio habuit.

Relicto PETRO transimus ad JUDAM, qui in epistola (s. 7 et 13) bis suam sententiam de poenarum aeternitate enuntiavit. Pauca sunt nobis de JUDA tradita, quo fit, ut hoc tantum commemorare velim, eius scriptum, multis conveniens cum libro HENOCHI, prodere auctorem, qui falsos doctores oppugnans, in citanda parte traditionis apocryphae Judaeorum doctrinam non prorsus deseruerat. Non conveniebat proposito huius viri, qui, studiis moralibus ductus graves poenas minabatur de eventu regni divini disserere; quare nil mirandum est, quod nulla vestigia sententiae τῆς ἀποκαταστάσεως in Judae scripto offendimus.

Multo gravior est persona JOHANNIS, de qua nunc nobis agendum est. Magnum discrimen adest inter varia scripta huius apostoli, quod multis, libri apocalypseos

authentiam vindicantibus, ansam dedit ad Evangelii Joannei authentiam in dubium vocandam. Hanc vero sententiam refutavit nostra in patria. vir. clar. NIERMEYER, jam, ehen! defunctus, qui opere notissimo claram lucem huic quaestioni attulit.

Eschatologia quoque differt pro variis, quibus continetur scriptis. Diserte docet liber Apocalypseos poenas aeternas, quum epistola prima speciem tantum huius dogmatis prae se ferat. Evangelium vero, quod temporis ordine ultimus esse videtur liber, nonnullis locis spem animis injicit, fore ut CHRISTUS omnes adversarios vincat eosque in gratiam cum Deo redire faciat. Haec doctrinae diversitas explicatur, si tenuerimus, quantum temporis spatium interfuerit inter uniuscuiusque operis compositionem. Nullo alio modo tollitur difficultas ex varia indole scriptorum Joanneorum orta. Prodit autem liber Apocalypseos auctorem sensuales Judaeorum exspectationes foventem, Evangelium vero, quod JOHANNES senex scripsisse creditur, ostendit auctorem, qui indolem spiritualem regni divini recte percepit. Statuendum igitur est JOHANNEM, rejectis aequalium de regno Messiano opinionibus in veram sententiam JESU effatorum penetrantem meliorem sperasse exitum pugnae quam lux cum tenebris committit, quam ante.

Sublata hac difficultate, altera exsistit eaque haud minus gravis. Si supra verbo memoravimus discrimen, quod in JOHANNIS eschatologia pro variis, quibus legi-

tur scriptis adest, jam silentio praeterire non licet, multum interesse inter Synopticorum eschatologiam et **JOANNEAM**. Quicumque Euangelia Synopticorum et **JOANNEUM** cognita habet, instituta collatione facile reperiet, diversum fuisse variis auctoribus in conscribendis Euangeliis consilium. Haud multum laboris exigit enumeratio rerum, in quibus describendis alter ab altero discedit, sed longius nos abduceret haec quaestio. Hoc tantum nobis volumus: apertum esse **JOHANNEM** Euangelium conscribentem non habuisse consilium mere historicum. Satis ostendit prologus auctorem theologiā theoreticā potissimum spectantem, quod consilium fortasse optime explicatur conditione coetus, quem spectabat auctor. Philosophia enim Alexandrina paulatim vim magnam exserere inceperat, qua quoque animos Christianorum, quos ob oculos habet **JOHANNES**, commotos fuisse, improbabile non fit.

Facile appareat eschatologiam in **MATTHAEI**, **MARCI** et **LUCAE** scriptis traditam eodem modo depingere futurae vitae conditionem, quo proponebant Judaei. Post mortem demum vera vita, quae simul summam affert felicitatem, initium capit. Cuius vitae ii participes fiunt, qui fide **CHRISTO** habita Deum coluerunt. Impii vero hac felicitate destituuntur, nam in ignem conjecti aeternis poenis cruciantur. Prorsus aliam descriptionem nobis praebet **JOHANNES**, qui tamen aequa ac Synoptici multum quoque crepat vitam aeternam.

Ex JOHANNIS sententia vera fides hanc vitam secum fert, ut appareat ex Joh. V: 24 ubi, qui fidem habet, huius vitae compos dicitur; transiit enim, scribit apostolus, e statu mortis in vitam. Non differtur igitur haec vita ad futurum, sed in communione cum Deo Christoque fundata jam ante mortem incipit. Afferuntur quidem dicta quaedam JOHANNIS, quae Synopticonrum sententiae favere videntur, sed recte explicata nostram opinionem non subvertunt. Quo ad temporis extensionem additur adjectivum *αιώνιος*; quanquam supra de huius vocis significatione fuse monuimus, hic tamen locus adest sententiae vir. clar. LANGE memorrandae \*). Urget distinctionem vitam inter infinitam et aeternam faciendam, dicens alteram cum altera male confundi. Cui equidem assentimur alteram potius de temporis notione, alteram de indole usurpari affirmanti; attamen utraque notio tam arcte cohaerere mihi videatur, ut altera ab altera sejungi nequeat. Ideo enim adjecta est temporis perpetuitas, ut summa felicitas vel summa miseria indicetur. Gravitas ergo poenarum et salutis sublimitas imprimis in perpetuitate continentur. Hanc vitam aeternam ne mors physica quidem

---

\*) *Posit. Dogmat.* p. II. p. 1289: „Diese Qual bezeichnet die Schrift als ewige. Die Schulvorstellung übersetzt diesen Ausdruck in endlosen Qual. — Aber heiszt denn ewiges Leben endloses Leben? — Die Schulmeinung hat den religiösen Begriff der Ewigkeit verloren und einen arithmetischen dafür eingetauscht. Und diesen bezeichnet sie nun als den rechten Glauben.“

perturbat, ut diserte legimus c. XI: 26. Non multis verbis mihi opus est ad indicandum discrimen JOHANNEM inter et Synopticos hac de re obtinens. Quum Synoptici vitam aeternam tanquam praemium homini pio tribui post mortem scribant, JOHANNES ipsam fidem tanquam fontem huius vitae agnoscit; unde sequitur ut, quo firmior sit alicuius fides, eo melius haec vita in animo sedeat. Remanet vero eadem quaestio, quomodo JOHANNES τὴν ἀποκατάστασιν docere potuerit. Cui respondentes simul supra allatam controversiam tollere conabimur.

Depingitur nobis JOHANNES tanquam apostolus, quem imprimis dilexisse JESUM legimus. Quid mirum? Ipsi animi indoles ea erat, quae maxime CHRISTO placere deberet, quaeque prae aliis JOHANNEM aptum reddebat ad magistri verba intelligenda. Intima familiaritate usum esse discipulum dilectum haud temere accipimus, nec rejicienda est sententia eorum qui multa audivisse JOHANNEM a CHRISTO statuant, quae scripto mandata non sunt. Melius igitur ille in JESU mentem penetravit; quae autem non statim intelligebat, meditando et secum revolvendo melius cognovit. Praeterea rerum conditio et conversio, quibus JOHANNES in longo vitae spatio interfuit, magnam vim exercere in eius sentiendi rationem debuit. Jam aetate proiectus Hierosolyma, urbem illam sanctissimam, quae sedes veri cultus gloria perpetua fructura cogitabatur, de-

vastata et eversa videbat ! Quam vehementer horribile istud factum animum Judaei commoverit, qui gloriam illius urbis annexuerat regno Messiano ! Revera nimia dicere non veremur, contendentes hoc facto JOHANNIS expectationes eschatologicas magnam subiisse conversionem ipsumque discipulum ab hoc inde tempore in magistri verborum sensum accuratius quam ante indagasse.

Ad haec et alia attendantibus motae quaestionis solutio facilior nobis redditia est, quanquam non omnes difficultates sublatas esse lubenter profitemur.

A JOHANNE ad Synopticos transgredientes incidimus in quaestionem gravissimam, de qua vero pauca dicturi sumus. Loquentem enim CHRISTUM non raro informant Euangelistae, imo disserentem vel cum populo vel cum discipulis. Quae quidem orationes an ipsa magistri verba contineant, haud facile dicitur, attamen non facimus cum iis, qui Euangelistas sensum potius quam verba CHRISTI orationum reddidisse existimant. Unusquisque videt sententiam, quam de eschatologia a Synopticis tradita ferimus, multum pendere ab huius quaestionis diremione. Si autem constat de veritate alterius opinionis, jure statuimus Euangelistas quemque pro sua indole CHRISTI doctrinam ita reddidisse ut, quaenam dogmata Judaeorum theologiae, quaenam JESU institutioni sint tribuenda, dignoscere difficillimum sit. Accurata collatio narrationum Euangelistarum lucis aliquid afferre potest.

Me movet consensus, qui regnat in verbis a variis Euangelistis JESU tributis, quem quidem e deliberato animo ortum esse, ne accipiamus vetant discriminis quaedam puncta. Hic consensus explicari nequit, nisi ab uno ore profecta audivisse et secum reputasse omnes putemus, eosque CHRISTI aculeatis dictis memoriam saepissime revolvendis tenuisse statuamus. Accedit altera causa haud minoris ponderis. Offendimus in narrationibus Euangelistarum, qui a Judaeorum opinionibus liberi non erant, tales CHRISTI dictiones, quae Judaeorum doctrinae contraria docent. Hinc luculentius apparent, nostro saltem judicio, magna cum fide Euangelistas, quae aeceperant, retulisse (cf. Matth. XXIV: 6. 14. 36. Marc. XIII: 7. 32. Luc. XXI: 24). Simplicitas denique orationis apud MATTHAEUM, MARCUM et LUCAM obviae, quae res nude et sine arte proponit, nostram sententiam confirmat, quoniam probabile non est auctorem, cuius scribendi consilium mere historicum fuit, orationibus artificiose componendis studuisse. Haec sunt quae me perduxerunt ad sententiam, Synopticos nempe revera CHRISTI verba reddere, quibus alia addi possunt.

Multi loci, quos e scriptis MATTHAEI, MARCI et LUCAE desumtos explicuimus, probant CHRISTUM propri vel improprie poenarum aeternitatem docuisse. Simul vero animadvertisendum est, eundem oratione captui auditorum adaptata usum esse, ita ut veritatem in for-

mis eschatologicis aequalium latentem enuntiaverit. Huc referendae sunt dictiones quaedam v. c. ὁ αἰών μέλλων, ἡ παλιγγενεσία (Matth. XIX: 28) συντελεῖα αἰώνος (XIII: 39) κληρονομεῖν τὴν γῆν (V: 5), aliae, quae tegumento sensuali deposito, spiritualem sensum requirunt. Qualem Judaei de pingebant statum mortuorum, Paradisum ab Inferno distinguentes, eodem modo CHRISTUS descriptionibus popularibus usus est in institutione, ut adstans multitudo aurem ei praaberet eiusque verba recte intelligeret. Quomodo autem Judaei eius doctrinam percepissent, nisi oratione ad vulgarem captum accommodata locutus esset? Docente historia Judaei CHRISTI aequales plane sensuales exspectationes fovebant de regno Messiano, quo fiebat, ut difficillimum CHRISTO obesset munus, de natura spirituali eiusdem regni iis persuadere. Jam vero JESUS, sapientis doctoris instar, ita proposuit doctrinam suam ut ab auditoribus perciperetur. Simul vero discipulis mandabat, ut, relicta forma temporali, magis magisque eius verba explicarent. Comprobat historia ecclesiae eius sapientiam, nam ab omni parte excultam videmus eius doctrinam. Imo, quem supra descripsimus, discipulus dilectus imaginem praebet ecclesiae gradatim procedentis et praeclara CHRISTI praecepta in totam societatem humanam applicantis.

Quae de CHRISTO sese accommodante diximus tenentes, nulli dubitamus, quin palmariam habeamus

eschatologiam JOANNEAM, quippe quae piae aliis Evangelistarum descriptionibus optime conveniat cum indeole spirituali religionis Christianae. Cavendum tamen est, ne negligamus ea dicta CHRISTI, unde absoluta victoria eius regni tuto efficitur. Concedimus quidem CHRISTUM saepius gravitatem et perpetuitatem poenarum docuisse, sed mirum hoc non accedit nobis, scientibus consilium CHRISTI apparitionis exigere, ut minus res futuras quam praesentes curaret. Emendare voluit genus humanum et peccatores culpae conscos in gratiam redigere cum Deo. Hinc sponte sequitur, ut potius ad fidem et mentis conversionem adhortaretur, quam de conditione post mortem futura dissereret. Haec practica studia, quibus ducebatur CHRISTUS, sapientissimo doctori imponebant officium, metu poenarum ad vitam moralem exhortandi, quum perpauci eā gaudeant fidei constantia, ut ne placiti τῆς ἀποκαταστάσεως annuntiatio quidem ei noceat. Accedit, quod JESUS non exstitit doctor philosophus, qui logicum conderet sistema vel orationes haberet idearum pulcritudine et vocum dispositione excellentes. A theoretica contemplatione alienus CHRISTUS cum populo ita collocutus est, ut eius egestati spirituali subveniret.

Brevitatis causa subsistentes si supra dicta contrahimus, ex exegetica disquisitione efficimus tam omnium restitutionem quam poenarum aeternitatem N. T. libris contineri, ita ut ab altera parte peccati sequelae in

aeternum permanere dicantur, ab altera vero divina gratia omnium voluntatem ad Deum flexura agnoscatur. Jam vero videamus, utrum hanc controvrsiam tollere possimus, an de unione utriusque placit sit desperandum.

Vix dicere opus est hanc diversitatem multum vexasse viros doctos, qui ad eam solvendam alii aliam viam inierunt. Plurimi tamen, quamvis spem τῆς αποκαταστάσεως animis foveant, in Codice Sacro poenas tantum aeternas doceri affirmant. Alii eos locos, qui sententiae refragantur, silentio premunt vel verborum vim infringere conantur. Ex antecedentibus patuit, me ad hos viros non accessisse, contra vero sic difficultatem tollere conati sumus, ut aliqui scriptores theologiam alios anthropologiam potissimum spectasse existimemus.

Inter viros doctos SCHWEIZERUS \*) agnoscens con-

\*) *Glaubenslehre der Evang. reform. Kirche* 2<sup>a</sup>. p. v. 2 p. 746 sq.  
 „Ein Widerspruch, der sich nur dadurch heben lässt, dass man die Folgen des diesseitigen sittlich religiösen Zustandes zwar in der Ewigkeit erst völlig verwirklicht denkt, den Strafen in der Ewigkeit unvergleichbar ernstern Charakter beilegt, ohne aber darum jede weitere Entwicklung zu verneinen. Ewigkeit und besondres individuelles Leben sind schon schwer zu reimende Begriffe, so dass die nachweltliche für Creaturen beginnende Ewigkeit doch immer nur als unabsehbare, unendliche Zeittaner vorgestellt worden ist, ja sogar mit verschiedenen Graden sowol des seligen als des unseligen Zustandes, während der absolute Begriff Ewigkeit vielmehr die Verneinung aller Zeitform und Zeittdauer aussagen will. Das praktische Interesse ist befriedigt, sobald nur eine über allen Vergleich mit der diesseitigen entscheidende Strafe der Unbussfertigkeit für das jenseitige Leben gelehrt wird, unabsehbare, schwere Folgen behauptet bleiben.“

troversiam illam sic sibi rem proponit, ut  $\eta \alpha\pi\omega\alpha\tau\alpha-\sigma\tau\alpha\sigma\tau\eta$  significet omnium facultatum moralium, quae homini insunt, perfectionem in aeternitate futuram, quum poenae in tam latum temporis spatium durare dicantur, ut oculi nostri nullum ei finem imponere possint. Conjungit igitur poenae notionem cum procedente mentis exultione uniuscuiusque personae. Quanquam haec sententia attentione dignissima est, non plane mihi satisfacit. Minus recte enim vir laudatus dicere neglexit, quales sibi proponeret poenas aeternas. Ab indole autem, quam poenis tribuimus, pendet maxime quaestio, sitne procedens mentis exultio conjungenda cum peccati sequelis necne. Quae adjecta sunt de aeternitatis notione omnino recte observata vim habent in explicandis vocibus, quae ad tempus infinitum significandum usurpantur in N. F. libris. Nimis acute ERBKAM e nonnullis locis S.S. efficere conatur miseros, quibus omnia sint adempta, nulla fere sui conscientia esse usuros. A criter vindicans poenarum perpetuitatem, videtur tamen mihi potius suam sententiam S. Scripturae obtrudere, quam clarum sensum verbis elicere °). Jure LANGIUS hanc sententiam, ex qua miseri omni volendi agendique facultate sint destituti, condemnat rogans, quidni in miseris illis, quippe qui non crucientur culpae conscientia, renovata vita excitetur? †).

\*) Cf. quae leguntur de hac sententia in libro: *Bijdragen van buitenl. Godel. ter vermeerdering van Christelijke kennis*, 1842. II. p. 2.

†) Haec refutatio invenitur: *Posit. Dog.* p. II. p. 1289 et § 732.

Sed nobis non lubet varias difficultatis tollendae rationes omnes recensere; itaque hic subsistentes breviter et modeste nostram sententiam subjiciemus. Ut supra monuimus, controversia tolli potest si tenemus, unde ea exorta sit. Si a Dei omnipotentia et amore proficiscimur, sequitur, ut nihil divinae voluntati adversans fore superstes existimemus. Hominem vero considerantes eiusque naturam moralem et culpae conscientiam, facile accipimus eum omnium, quae vel egit vel cogitavit, rationem esse daturum et pro malefactis poenis affectum iri. Quaevis enim legis divinae violatio hominem, nisi sit animo obduratus, cruciat et angore premit. Si igitur nec theologiae neque anthropologiae vim inferre volumus utrumque observandum est. Quo ad Sacram Scripturam attinet, satis docet, tantam esse efficacitatem gratiae divinae, ut omnes naturas rationales sit fermentatura; eadem vero libertatem moralem strenue vindicat in eaque magnam partem fundat suam doctrinam.

Si quid videmus, multum pendet solutio nostrae quaestionis a ratione qua nobis salutem vel miseriam futuram proponamus. Ex eschatologia Joannea, quae cum prae aliis mentem CHRISTI optime referat, a nobis plurimi aestimatur, patet vitam aeternam miseriamque fore naturae spiritualis. Si vero conditionem hominum a sincera fide alienorum moralem ac physicam consideramus, principes hi sese offerunt sensuum tristium fontes,

recordatio et conscientia peccatorum ante patratorum, jactura bonorum illorum, in quibus hac in vita omnem suam posuerant felicitatem. Augebit denique eorum dolores jactura sublimioris felicitatis, qua pii fruuntur.

Fuerunt nonnulli, qui hasce poenas gravissimas emendandi consilio a supremo Judice infligi existiment, qui que spem edant fore ut miseri resipiscentes a qualicunque felicitate non sint exclusi, quamvis eorum sors non sit aequata fidelium beatitudini. Hanc sententiam nobis valde arridere profitemur, quippe quae aeternas peccati sequelas non tollat neque paecludat restitutionis occasionem. Imo exspectandum est divinum amorem tantum miserorum numerum sibi non esse derelicturum. Sed spes nostris animis inest, fore ut magna Dei misericordia animos obduratos leniat et resipiscere faciat. Hoc tamen non ita est accipiendum, ac si poenis finem impositum iri dixerimus nam semper humiliorem gradum felicitatis consecuturi sunt, quam quo gaudent pii, qui sublimiori sunt moralitate ac pietate. At feli- cies erunt singuli suo modo et quo ulterius procedant tendentes ad perfectionem et Dei similitudinem, eo magis increscat beatitudo.

Quaenam vero sors futura sit illorum hominum, qui absque sua culpa Euangelii notitia destituti sunt, nusquam diserte definivit Sacra Scriptura, sed tamen e nonnullis locis efficere possumus iis Euangelii cognoscendi oblatum iri occasionem.

Ratio, qua proposuimus salutem et miseriam aeternam, hoc commodum affert, ut nec S. Scripturae effatis aduersetur nec omnem excludat controversiae in synthesin redigendae facultatem. Utraque enim notio, poenae aeternitas ac *ἡ ἀποκατάστασις* vindicatur. Eatenus autem gratia divina victrix dicitur, quatenus omnium animos lenierit et ad Deum converterit, poenis aeternis contra non adimitur gravitas, quum eae habeantur peccati sequelae, ut in aeternum sint duratae.

Conamine itaque instituto opposita effata S. Codicis conciliandi, utriusque dogmati suum jus competere agnivimus. CHRISTI institutio admonitiones quasdam praebet de *τῇ ἀποκατάστάσει πάντων*, sed fusius agit de horribilibus peccati poenis; cuius rei causam indicavimus supra, dicentes CHRISTUM practicis potissimum studiis ductum fuisse. Haud sine jure hinc petimus admonitionem, ut in populari institutione serventur gravissimarum poenarum notiones, licet animus pius hominis vere Christiani spem foveat, fore ut regnum divinum consummetur, Deusque sit *πάντα ἐν πᾶσιν*.

## T H E S S.

### I.

Male LACHMANNUS scribit Luc. II: 14, *ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίᾳς* pro vulgari *ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίᾳ.*

### II.

Verba מְבִין רָגְלֵינוּ Gen. XLIX: 10 explicanda videntur ex consuetudine et habitu eius qui leges scribebat.

### III.

Rom. III: 25 verba *ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* conjungenda sunt cum proxime antecedentibus διὰ τῆς πίστεως.

### IV.

Apostoli CHRISTI παρουσίαν prope instantem sibi cogitasse videntur.

### V.

Solus theismus miraculorum rectam admittit notionem.

### VI.

Quoniam religio Christiana nititur rebus in facto positis, argumentum testimonii Sp. S. argumenta ex historia petita supervacua non reddit.

## VII.

Qui fidem religiosam superstruunt auctoritate S. Scripturae sola, admittentes menda inveniri in codice sacro, quae sine dubio inveniuntur, suum ipsi fundamentum subvertunt.

## VIII.

Theologia dogmatica Christiana incipienda non est a Christologia.

## IX.

Sectae Anabaptistarum et Teleio-baptistarum unius arboris rami habendae sunt.

## X.

Male NITSCHIUS theologiam moralem cum dogmatica conjunxit.

## XI.

Matth. XIII: 11—16 non explicandum est de decreto reprobationis.

## XII.

Matth. XVIII: 22—35 minime pugnat cum placito τῆς ἀποκαταστάσεως.

## XIII.

JESU parabola, Luc. XVI: 19—31 poenas aeternas minari negari nequit.

## XIV.

Verba ὅπου ὁ σκώληξ οὐ τελευτᾶ καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται (Marc. IX: 48) aeternitatis notionem continent, licet Isaiae c. LXVI: 24 in res finitas applicentur.

## XV.

Opposita effata de τῇ ἀποκαταστάσει πάντων et de poenis aeternis potissimum explicanda mihi videntur ex diversis principiis, theologico et anthropologico, unde auctores pro varia opportunitate profecti sunt.

## XVI.

Unio, quae quaeritur inter utramque sententiam oppositam pendet maxime a ratione qua nobis vitam futuram proponamus.

## XVII.

Pulchre dicit VINET (theol. past. p. 233): » Ce n'est pas tant par ce qu'il dit que par ce qu'il est, que le prédicateur peut se flatter de ne pas frapper en l'air. Il s'agit avant tout de conserver le mystère de la foi dans une conscience pure (1 Tim. III: 9). Cette conscience pure est la vraie force de la prédication.”

## E R R A T A.

Pag.	2, reg.	12 <sup>a</sup> .	excitarunt. Sic,	lege:	excitarunt, sic.
"	3,	"	8 <sup>a</sup> . vetustissimus,	"	vetustissimis.
"	3,	"	6 <sup>a</sup> . Exegetica,	"	exegetica.
"	4,	"	9. atterigemus,	"	attingemus.
"	11,	"	7. ἀποκατάσ-	"	ἀποκατα-
"	11,	"	26. tencat,	"	teneat.
"	21,	"	11. tuererentur,	"	tuerentur.
"	27,		omittatur,	(§ 2).	
"	34,		omittatur,	(§ 3).	
"	34,		vicetur,	lege:	videtur.
"	51,	"	9, inter pretatiosequentibus,	lege:	interpretatio sequen-
					tibus.

Leviora, quae insint, corrigat ben. lect.